# ANTONII MEDI RAGVSINI

IN

# LIBRVM DVODECIMVM METAPHYSICAE ARISTOTELIS

Expositio.

CVM PRIVILEGIO.

*QVAM ADMIRABILE*

DOMINE, DOMINVS NOSTER




EST NOMEN TVVM.



VENETIIS,

Apud Franciſcum Barilettum. 1598.

*Superiorum Permiſſu.*

# PERILLVSTRI COLLEGIO ROMANO SOCIETATIS IESV.

## ANTONIVS MEDO, QVI ET CALLOS. S. P. D.

LICET hoc opuſculum, qualecunq; ſit, eos, qui in philoſophia Ariſtotelis obtinent principatum ſua natura expetere videatur; quoniam tamen eam expectationem, quam hominum fama de ſanctimonia vitæ, & exquiſita doctrina nuper exorientis, & tam longè lateq́ue diffuſæ Societatis veſtræ in animo meo concitarat, aduentus in hanc vrbem eximij Chriſti athletæ bonæ memoriæ, Philippi de Philippis; egregij verbi Dei præconis Ludouici Manſonij, & nunc temporis elegantis ſanè, & fructuoſi concionatoris Lælij Ptolomæi Senenſis longè ſuperauit. Iccircò veſtro perilluſtri Collegio Romano dedicandum exiſtimaui. Tum quia nos etiam in ijſdem ſtudijs, in quibus vos verſamur, & ijſdem moribus, quibus vos, oblectamur; non quidem propriè, ſed quatenus vtrique noſtrum

communem vtilitatem spectamus. Tum vt quam sim societatis vestrę studiosus aliquo modo pręme ferrem. Tum potissimum, quia hunc Duodecimum Aristotelis Metaphysicæ Librum per me ad mentem philosophi expositum arbitror, non ex aliorum expositionibus descriptum. Tum quia puriorem, & faciliorem viam philosophandi in schola Aristotelis pollicetur, quam communiter philosophantur. Tum denique quia communem rationem philosophandi non immeritò redarguit. Quæ quidem omnia quoniam de summis rebus sunt, & quodammodo solitarij hominis speculationes; ideò iudicio, censuræ, & patrocinio tam illustris eruditissimorum patrum Collegij quàm maxima veneratione summittenda putaui, præsertim verò certissimo examini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcienda, cuius nunc temporis dignissimum visibile caput est Summus Romanus Pontifex Clemens Octauus. Rogo igitur vos, vt opusculum hoc libenti animo, hilariq; fronte aspiciatis, vestramque in clientelam recipiatis: atque hoc animi mei studium in vos æqui bonique consulentes probetis. Ita enim fore confido, vt & mei partus ingenij tutamen sit maximum adeptus, & ego vigilias meas in dies ad maiora quoque conuertam.

# ANTONII MEDI
## PRAEFATIO
## IN LIBRVM DVODECIMVM METAPHYSICÆ ARISTOTELIS.

*QVoniam diuersa sunt, quorum cognitionem quærimus, & quia diuersa est natura animi nostri, diuersa nostri corporis, quibus cognitio fit: ideò diuersi modi cognoscendi, & diuersæ scientiæ sunt. Quarum scientiarum distinctione, & in sua genera diuisione sicut & multis alijs de caussis, philosophia Aristotelis antiquorum philosophias longe antecellit: ita & inter omnes scientias ab ipsomet Aristotele in sua subiecta distributa talis, ac tanta huius cognitionis est præstantia, vt eam & sapientiam, & primam philosophiam, & Metaphysicam, & Theologiam appellet. In proœmio verò vel à solo sapientissimo Deo, vel certè ab eo quàm perfectissimè haberi confirmet. Eos verò, qui in ipsa dignè versantur ijsdem nominibus & sapientes, & primos philosophos, & Metaphysicos vocando, exornat. Eos in Octauo Heticorum rationabile esse (inquit) existimare ab ipsa Diuinitate & dilectos, & benemeritos esse habendos. Quod si vel minimarum rerum, quæ nihil nostra intersunt cognitione, magnopere delectamur; quantò maiore voluptate ex cognitione summorum, &*

*summa*

summæ rationis rerum summo modo (quo in hac fragili, caducaq; vita fas est) perfundemur? Si felix habetur, qui hæc terrena potuit cognoscere; quanto felicior habendus, qui animo à terrenis auulsus, & abstractus cœlestia, mentes separatas, ipsum summũ Deum (quantum homo lumine solo naturali potest) speculabitur? Verum quoniam de ente, quid, & quomodo esset, confusæ inuicem, & variæ antiquorum fuerunt opiniones; ideò in præcedentibus undecim libris ferè totis vel disputat, vel ad suam rem quædam declarat, & decernit. Quæ quidem omnia dicere possumus esse de ratione Metaphysicalium quæstionum, & omnia quodammodo viam communire, & aditum patefacere ad hunc Duodecimum, in quo suo agit ordine de tota Metaphysica. In quo quidem Duodecimo pro ingenij nostri tenuitate non solum enitimur, vt mentem Aristotelis exponamus; sed vt terminis philosophandi, quibus ipse vsus est, & nos vtamur ex ipsius mente, tanquam proprijs, & ad sufficientiam positis ab ipso ipsius philosophiæ parente in hoc genere philosophandi. Tribus de caussis opinor forsan futurum non inutile opus. Primò quia caussæ, ob quas tot, & tam variæ, & inter se diuersæ sunt opiniones in modo philosophandi de mente Aristotelis exponentur, & patefient. Licet verò pudeat me hominem in hoc angulo procul à scholis, & tot doctissimorum virorum congressibus constitutum, ab illis dissentire, ipsa tamen veritas maximè amica vt in multis illis non assentiar, me cogit. Neminem enim esse arbitror, qui pura philosophia Aristotelis philosophiam tractet. Sicut itaq; eorum, qui Aristotelem præcesserunt, de ente variæ opiniones fuerunt; ita varias & eorum videmus, qui sunt ipsum consecuti; quamuis ij omnes profiteantur se de philosophi mente philosophari. Hæc, vt dicimus, ita sese habere, argumento nobis est, non modo tanta opinionum varietas, verumetiam quia quo quisque eorum magis enititur, vt pressius philosophetur; eò magis, ne in scopulos impingat, vt excogitet noua dogmata, & nouos, & peregrinos terminos compellitur, vt opinionem suam fulciat: quibus planè ter-

ne terminis nunquam visum fuisse Aristotelem res ipsa declarat. Quotus enimquisq; eorum est, qui termini quod quid erat esse proprio philosophiæ Aristotelis usquam meminit, aut sciscitatur? Deinde quia quomodo sese habeant cœlestia, & mentes separatæ ad mentem tanti philosophi quàm breuissimè perstringemus. Hæc enim nonnulli philosophi sensum verborum Aristotelis parum intelligentes confundunt, & auream hanc philosophiam quasi impiam reddunt, paruifaciunt, & deprauant. Præterea quia ex Metaphysicis de cœlo principijs omnes apparentes motuum inæqualitates errantium stellarum in orbibus concentricis æqualiter in se motis demonstramus contineri. Dogma adhuc desideratum. Postremò quia in hoc tractatu quamuis omnibus Aristotelis expositoribus Aristoteles piè de prima uniuersi caussa Deo loqui videatur; ego tamen magis piè, & ad religionem Christianam proximè accessisse demonstrabo. Etenim cum omnes Aristotelis expositores (quos quidem legerim) præter eruditissimum Picum existiment Aristotelem docuisse omnium conditorem Deum esse primi mobilis motorem: ego in hac nostra expositione distincta serie orbium cœlestium, & distincta serie substantiarum separatarum dictos orbes mouentium ex mente ipsius Aristotelis probabo summum & optimum Deum nullius orbis esse motorem; sed esse super omnia genera substantiarum tum sensibilium, tum separatarum, ex quibus constat uniuersum. Quem ad differentiam eorum, quæ in uniuersi bona, & optima dicuntur, appellat ipsum bonum, & ipsum uniuersi optimum; ad quem & totius uniuersi omnia sunt ordinata, & à quo bona omnia diffunduntur. Et cui si quæ fortè in hoc meo opusculo studiosis philosophiæ non inutilia inerunt, quàm maxima possum animi mei veneratione, & demissione accepta refero.

quod quid erat esse

Piell

COPIA DELLI ECCELLENTISS. SIGNORI
Capi dell'Illustriss. Consiglio di X. infrascritti.

Hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relation delli nostri à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitore, del circospetto Secretario del Senato Zuane Marauegia, & di D. Baldo Antonio Penna Lettor publico, che nel Libro intitolato Antonij Medi Callossij Ragusini in Librum XII. Metaphysicæ Aristotelis Expositio, non vi è cosa contra le leggi, & è degno di Stampa, concedono licentia, che possi esser stampato in questa Città.

Dat. die 7. Aprilis. 1598.

D. Giacobo Moresini.
D. Lunardo Mocenigo. } Capi dell'Illustiss. Consiglio di X.
D. Zuane Corner.

Illustriss. Cons. X. Secretarius

Leonardus Otthobonus.

1598. à 21. d'April.
Registrata nell'Officio contra la Biastema.

Gieronimo Franceschi Secretario.

# ARISTOTELIS STAGIRITAE METAPHYSICORVM LIBER DVODECIMVS.

1069a18 / 1076a4

## CAPVT PRIMVM.

*Speculatio nobis de substantia est, siquidem substantiarum principia, & caussæ quæruntur. etenim siue totum aliquid uniuersum est, substantia prima pars est: siue ex consequenti, hoc quoq; modo primum est substantia: deinde quale, posteà quantum. At simul (ut ita dicam) nec entia sunt ista simpliciter, uerùm qualitates, & motus: quemadmodum non album, & non rectum. dicimus enim hæc quoque esse, uelutt est non album. Præterea cæterorum nullum separabile est. At hoc idem reipsa testantur antiquiores: quippe qui principia, elementa, & caussas substantiæ quærebant. Recentiores verò uniuersalia magis ponunt esse substantias: genera nanq; uniuersalia sunt, quæ asserunt magis principia, atque substantias esse, propterea quod logicè quærunt. antiquiores uerò singularia, ut ignem, & aquam, non autem corpus commune.*

A EXPO-

# EXPOSITIO.

QVoniam ſcientiarum quædam ſpeculatiuæ, quædam vero practicæ appellatur, hę quia rerum artificialium ſunt cognitiones, quas mens noſtra factas, vel faciendas noſtra effectione cognoſcit: illæ quia res naturales ſunt, quas dum cognoſcimus admirantes ſpeculamur, & ſpeculantes admiramur, ideò ſpeculatiuas eſſe dicimus. Philoſophus ſuo ordine vniuerſam metaphyſicam tractaturus, quam in præfatione huius expoſitionis diximus ab eodem & ſapientiam, & primam philoſophiam fuiſſe appellatá ita exorſus eſt Speculatio nobis de ſubſtantia eſt. *Æquè ac ſi dixiſſet hanc cognitionem eſſe habitum ſpeculatiuum, cuius cognitionis præſtantiam ipſamet eius nomina præſeferunt. Nam quid ſapientia, vel ſapiens ſit in toto ſuo proœmio docet, & verè ſummis laudibus exornat, vbi etiam de habitu ſpeculatiuo agit. Dicitur prima philoſophia, quia eſt de primo ente, & de primis entibus. Vocatur Metaphyſica, quia eſt ſupra phyſicam cognitionem. cum phyſica de rebus agat, quæ cum motu ſunt: metaphyſica verò de ijs, quæ ſupra motum, & de cauſſis motuum. Dicitur tandem Theologia, quia præter cætera de quibus humano more ſpeculatur, etiam de Deo Optimo Maximo quatenus philoſopho in puris naturalibus fas eſt, conſiderat. Quę quidem cum ſit præſtantiſſima pars metaphyſicæ cognitionis, meritò ab illa denominatur. Quod ait. De ſubſtantia, Hæc ſubſtantia vniuerſali ratione dicta: & non eſt magis de vniuerſali ratione ſubſtantiæ, quàm de qualibet ratione ſingularium ſubſtantiarum. id quod in primi Poſteriorum Capite vigeſimo videre eſt. Itaque hæc

ſub-

ſubſtantia ſignificat, & omnem ſubſtantiam vniuerſali ratione dictam, & vnamquamq; ſingularem ſubſtātiam, quatenus quod quid erat eſſe, & vnumquodq; ſunt idem ſecundum ſubſtantiam, vt patet Libro Septimo, præſertim verò Capite ſexto. Licet verò hæc ſubſtantiá ſit vniuerſali ratione dicta, non eſt tamen ens tranſcendens. Quoniam in philoſophia Ariſtotelis ea quæ vniuerſaliter dicuntur, non ſunt: ideò & entia, quæ tranſcendentia appellantur, non ſunt. & conſequenter non poſſunt entia uocari. De ratione huius metaphyſicæ cognitionis neque ſubiectum (propriè loquendo) neq; demonſtratio eſt, ſicut in cæteris ſcientijs. Quoniam ſubiectum dicitur, & refertur ad ſuas paſſiones: demonſtratio verò fit de inhærentia paſſionum in ſuo ſubiecto per dignitates. Metaphyſica quia non eſt de paſſionibus, ſed de ſubſtantijs, & earum principijs, quæ etiam ſubſtantiæ ſunt: ideò de eius ratione nec eſt ſubiectum, nec demōſtratio. Quæ quidem in eius ratione ob aliquam imperfectionem non deſunt, ſed ratione præſtantiæ, & eminentiæ primarum cauſſarum; & ratione certioris habitus principiorum, quam ſit cognitio concluſionum. Atque ideò Ariſtoteles hic non meminit ſubiecti, ſed ait. Speculatio nobis de ſubſtantia eſt. Quare non abs re aliquis poſſet dubitare. Qualis habitus cognitionis ſit præſens ſpeculatio? Dictum eſt non eſſe demonſtratiuum; hoc eſt, qui de extremis fit per medium; manifeſtum autem eſt non eſſe inductionem, præter hos duos modos cognitionis quis tertius? An præter hos duos datur & tertius, qui eſt habitus principiorum, cuius actus eſt ipſe intellectus? Eſt autem vtriuſq; illorum duorum modorum cognitionis, & perfectiſſima, & maximè præcipua, & ſimpliciter prima pars. In alia cognitione ſunt prin-

cipia conclusionum; in alia verò habitus principioru. Verum quoniam præsens speculatio est prima philosophia, congruè sequitur primam esse primorum, & habitum eorum esse intellectum; sicut iam dictum est. Si verò primæ philosophiæ habitus esset ipse intellectus, sequeretur non prius in sensu, quàm in intellectu rem esse cognitam, quod est absurdum. An quoniam priora duobus modis sunt, & simpliciter, & quoad nos, habitus inductiuus, & habitus, qui per medium extrema cognoscit, per quos cæteræ omnes, vt plurimum, scientiæ fiunt; sunt priores quoad nos, quatènus sensui propinquiores: habitus verò principiorum est prior simpliciter, quia naturæ intellectiuæ propinquior: iccirco Metaphysicæ; idest, primæ philosophiæ, habitus est & primorum, & primus: Si verò metaphysica speculatio est primorum, sequitur vnamquanque scientiam quatenus habet aliqua prima à metaphysico esse cōsiderandam; An quoniam principia in scientijs vsq; ad quendam terminum rationis considerantur, & ponuntur: in hoc verò duodecimo libro cognitio uniuersali ratione omnium primorum ordinatur, eam rectè speculationem de substantia vocat? Præsentem speculationem de substantia esse in pluribus locis metaphysicalium quæstionum legitur, dum ens absolutè & ens, vt est ens, ipsam substantiam appellat. Id hoc Capite re, & ratione probat. Re, cum ait. Substantiarum principia, & caussæ quæruntur. Quod idem est ac si diceret. Cum in hoc toto duodecimo libro, in quo suo ordine vniuersam Metaphysicam tractat, caussæ, & principia substantiarum inquirantur: quę quidem principia, & caussæ, quia etiā ipsæ sunt substantiæ; ideo præsens speculatio de substantia optimè dicitur. Ratione, & modo nostræ cognitionis, tum ratione

tione indistinctorum cognitorum, tum ratione distinctorum, in ratione huius vtriusque cognitionis eadem substantia est primum. Quod autem est primum in ordine rerum, id est principium, caussa, & substantia cæterorum quorum est primum. Quoniam verò hæc prima philosophia est habitus cognitionis primorum; ideò de substantia est præsens speculatio. Hæc indistincta, vel totalia sunt ipsa singularia, quæ sunt hoc aliquid, quorum vnumquodq; vt quoddam vniuersum est, quod in proœmio Physicorum à philosopho vniuersale nobis notius appellatur. Ideò quoddam vniuersale dicitur, quia constat ex diuersis partibus, ex quibus est quid vnum totum. Nobis notius, quoniam in ratione cognitionis sensui propinquius est. In rebus hoc modo consideratis substantia prima pars est, quatenus in hoc sunt quædã semper eodem modo se habentia, quæ est ipsamet substantia, quædam verò non, quę sunt accidentia, ideò ait. Etenim siue totum aliquid vniuersum est, substantia prima pars est. In ratione item cognitionis distinctorum substantia est primum, deinde alia, quæ sunt in prædicamẽtis, ob hanc caussam ait. Siue ex consequenti; hoc est, ex consecutione ordinis eorum, quę sunt in prędicamentis posita: hoc quoque modo primum est substantia, deinde quale, posteà quantum. Ex quibus patet substantiam primum esse, ergo de primo primi philosophi speculatio. Pręterea quoniam sola substantia est ens, simpliciter loquendo, ideò de cęteris accidentibus ait. At simul (vt ita dicam) nec entia sunt ista simpliciter, sed qualitates, & motus, quod est quid entis. Quę planè accidentia quamuis dicantur esse; simpliciter tamen loquendo, non sunt, sed eodem modo dicuntur esse, quò priuationes. Quemadmodum non album, & non rectum dicuntur

cuntur esse,& non sunt simpliciter. Ideò subiungit, Prę-
tereà cęterorum : id est,accidentium nullum est separa-
bile,sed sola substantia est separabilis, & ideò primum.
Quapropter primi philosophi de substantia speculatio
est. Idem authoritate aliorum philosophorum probat,
dicens. At hoc idem re ipsa testantur antiquiores. Phi-
losophos intelligit principia, elementa, & caussas sub-
stantiæ indagantes. Quę cum sint priora substantię, &
ipsa sint substantię necesse est. Ob hanc caussam etiam
pręsens speculatio dicitur de substantia. Iam refert di-
scrimen, quod erat inter eosdem philosophos de sub-
stantia. Quoniam, inquit, antiquiores putauerunt ipsa
singularia magis esse substantias; recentiores verò quo-
rum pręcipui fuerunt Socrates,& Plato; qui arbitraban
tur vniuersalia magis esse substantias, quàm minus vni-
uersalia,& per consequens quam ipsa singularia, Cur?
quia Logicè,inquit, quęrebant, hoc est, ratiocinatiuè.
Nam in Logica vniuersalia sine alijs possunt existere:
non autē contra minus vniuersalia & indiuidua sine vni-
uersalioribus. Quia verò quod existere per se potest est
substantia: ideò vniuersalia magis putabant substātias,
quàm ipsa singularia. Verum quoniam huiusmodi inda-
gatores magis operam dederunt,vt indagarent, quomo
do ea,quę sunt, dicerentur, quam quomodo ipsa se ha-
berent,& essent; ideò satis argutè à nostro philosopho
notatur Libri septimi Capite quarto his verbis. Oportet
considerare quomodo de vnoquoq; dicere decet. Mox
subiungit. Non tamē magis, quàm quomodo se habeat.
Et si verò in Logica vniuersalia sunt substantię: in phy-
sica,& metaphysica tamē ea,quę vniuersaliter dicimus,
non sunt,sed singularia sunt. Quę verò vniuersaliter di-
cimus rationes singulorum sunt. Quod in tota philoso-

phia

phia Aristotelis est videre, presertim verò Libri septimi Capite decimotertio, & decimoquarto, & huius Libri Capite vj. Quod dixit, Logicè querunt, est perinde ac si dixisset, eos physicam, & metaphysicam Logicè tractare, vt tractat Porphyrius in tractatu predicabiliũ, in quo inuicem confunduntur Physica, Metaphysica, & Logica ita vt ipsemet author ingenuè fateatur se ignorare quid sit de quo tractet; hoc est, quid sit de quo ipsius termini supponunt, & quid sit id, quod significant. Qui sanè omnes in philosophia Aristotelis alter ab altero clarè distinguuntur. Etenim Logica de rationibus rerum agit vniuersali modo: physica, & metaphysica de ipsis rebus vniuersali ratione, que vniuersalis ratio tametsi sit efficacior, quàm singularis: ea tamen que vniuersaliter dicimus non sunt. Insuper hoc loco notatur quicunq; in philosophia Aristotelis cum de rebus philosophantur, tum abstractis verbis vtuntur, cuiusmodi sunt, Substantialitas, essentia, & essentialitas, quidditas, formalitas, materialitas, corporeitas, albeitas, & alijs eiusdem generis. Atque eò magis notantur, quò magis termini sunt transcendentes opiniones recentiorum philosophorum in Primi Libri Capite sexto tractat. Quas postquàm impropriè philosophantes refellisset, ait. Antiquiores verò singularia vt ignem, & terram putabant esse substantias, & non vniuersalia. Cum dixit, Et non corpus commune, idem significat, ac si dixisset. Et non ipsum vniuersale. Horum antiquorum opiniones referuntur à philosopho Primi Libri Metaphysicæ Capite tertio, quarto, & quinto.

CA-

## CAPVT II.

VErum substantiæ tres sunt, vna sensibilis, cuius quædam sempiterna, quædam corruptibilis, quã omnes concedunt, veluti plantæ, & animalia. Sempiterna verò, cuius elementa siue unum, siue multa sunt accipere necesse est. Alia immobilis, quam aliqui separabilem aiunt esse, quidam in duo diuidentes, quidam in unã ponentes naturam tàm species, quàm mathematica, quidam ex his mathematica solum. Illæ itaque philosophiæ naturalis, cum motu nanque sunt: ista autem alterius est, si nullum eis commune principium est. Sensibilis verò substantia mutabilis est. Si itaque ex oppositis, aut medijs mutatio fit, oppositis uerò non omnibus (album non ex voce, verùm ex contrario) necesse est aliquid subesse, quod in contrarietatem mutetur: non enim contraria transmutantur. Præterea hoc quidem permanet, contrarium verò non permanet; est igitur aliquid tertium præter contraria ipsa materia. Si itaque transmutationes sunt quatuor, aut secundùm ipsum quid aut quale, aut quantum, aut vbi: ac generatio simplex, & corruptio, quæ secundum quod quid fit: augmentatio, & diminutio, quæ secundum quantum; alteratio, quæ secundum passionem, latio verò quæ secundum locum, profectò in contrarietates in vnoquoque mutationes sunt: necesse est igitur mutari materiam, quæ ambo possit. Cum autem duplex sit ens, omne mutatur ex potentia ente in actu ens, vt ex potentia albo in actu album: eodem autem modo & de augmentatione, & diminutione. Quare non solum per accidens ex non ente fieri contingit, sed etiam ex ente omnia fiunt, verùm potentia quidem ente, actu verò ex non ente. Et hoc est Anaxagoræ vnum: melius nanq; quàm cuncta simul, & quàm mistura Empedoclis, ac Anaximandri, & vt Democritus quoq; ait, simul omnia potentia erant, actu verò minimè: quare materiam tetigerunt.

Cuncta

*Cuncta verò quæcunq; mutantur materiam habent, sed diuersam. Nā & ipsorum sempiternorum quæcunq; non sunt generabilia, sed latione mobilia: attamen nō generabilem, sed vnde quò. Dubitare verò quispiam possit ex quo non ente generatio fiat: tripliciter enim non ens dicitur. Si igitur quippiam est potentia, veruntamen non ex quocunque, sed cum alterum ex altero. Nec id sufficit, quod simul omnes res erant, quia differunt materia. Cur enim infinita facta fuissent, & non vnum cum intellectus vnus sit? Quare si materia vna illud actu factum fuisset, cuius materia potentia erat. Tres itaque caussæ, & tria principia: duo quidem ipsa contrarietas, cuius hoc quidem ratio & species, hoc verò priuatio, tertium verò materia.*

## EXPOSITIO.

IN superiori Capite dictum fuit substantiam esse id, de quo metaphysicus speculatur, & hanc substantiam significare vnamquamque substantiam singularem immediatè, & in vniuersum omnem substantiam. Hoc verò Capite singulariore ratione diuersorum principiorum substantijs consideratis, modò duas, modo tres asserit esse substantias, de quibus est præsens speculatio. Quarum quidem substantiarum vnaquæq; immediatè significat omnia sua singularia, & vniuersali ratione omnem talem substantiam, quatenus quod quid erat esse, & vnumquodque secundum substantiam idem sunt. Quare hoc eodem sensu ait. Verum substantiæ tres sunt; id est, generabilis, & corruptibilis, & cœlum & substantia separata. Quarum quia substantia generabilis, & corruptibilis, & cœlum coueniunt in specie sensibili. (Nam vtraq; illarum sensu percipitur) ideò dixit. Quarum, id est, trium substantiarum; Vna: hoc est, vna pars est sensibilis, Cuius substantiæ sensibilis, ait, quædam, hoc est, substantia quædam est

ſempiterna; quod eſt cœlum; & quædam corruptibilis; ſicut ſunt plantæ, & animalia. Quam corruptibilem, ait, omnes philoſophi concedunt, hoc eſt, philoſophis omnibus eſt nota. De cœleſti verò, quæ vſque ad eius tempora, & quo ad naturam, & quo ad motum non erat multum cognita, ait. Sempiterna verò, cuius elementa ſiue vnum, ſiue multa ſint accipere neceſſe eſt; id eſt, inquirere. Verùm quoniam elementũ multis modis accipitur, vt Libri quinti Capite tertio; hoc loco elementa cœli ſunt non tantũ orbes, ſed etiam animę orbium, ſubſtantię ſeparatę orbiũ motrices, actus, & potentia, forma, & materia. Quod autẽ ait, ſiue vnum elementum in cęlo ſit, ſiue multa; idem eſt, ac ſi diceret. Siue ſimplex ſubſtãtia, ſiue compoſita ex his, quę iam recenſuimus, ſit ipſum cœlum. Quoniam verò dixerat, vnam partem harum trium ſubſtantiarum eſſe ſenſibilem, id eſt, ſenſu perceptibilem, mobilem; ideò ſubiungit. Alia immobilis; id eſt, alia pars harum trium ſubſtantiarum eſt immobilis. Quam quidem immobilem ſubſtantiam ait à quibuſdam philoſophis vocatam ſeparabilem; id eſt, per ſe ſubſiſtentem, vt ab Anaxagora. Quia verò quidam philoſophi, vt Platonici, & Pythagorici hoc principium aiebant eſſe, ſpecies; id eſt, Ideas, & mathematica; ideò ait. Aliqui eorum hoc immobile principium in duo diuidebant. quorum alterum erant Ideæ, alterum verò mathematica. Nonnulli verò opinabantur ideas, & mathematica vnius naturę, & ideo vnum principium. Poſtremò ait quoſdam philoſophorum ſolum mathematica poſuiſſe principium naturalium. De quorum modis philoſophandi licet pluribus locis meminerit philoſophus, in primo tamen Metaphyſicorum ſuo ordine tractat. Porrò ſequitur dicens. Illæ, id eſt, illæ duæ ſubſtantię, quę ſunt cœlum, & generabilia, & corruptibilia, naturalis contemplationis

tionis ſunt; quoniam cum motu ſunt. Et paulò poſt ait. Illa autem; hoc eſt, tertia ſubſtantia, alterius eſt, hoc eſt alterius conſiderationis. Et adducit rationem. Si nullum commune principium eis eſt. Ideò dixit. Si nullum commune principium eis eſt; quia in vna conſideratione non habent commune principium corporea, & incorporea; alia verò conſideratione habent. Quoniam & corporea, & incorporea, & alia omnia, quæ ſunt in amplexu huius vniuerſi à communi principio rerum omnium conditore Deo & immediatè, & mediantibus ſecundis cauſſis dependent; vt infra in decimo Capite patebit. Quoniam verò in exordio huius libri dixerat, metaphyſicum inquirere cauſſas, principia, & elementa ſubſtantiarum; ideò primo loco ſubſtantiam ſenſibilem conſiderandam proponit, ex cuius mutationibus eius materiam, formam, priuationem, mouentem, & finalem cauſſas eſſe ſubſtãtiæ ſenſibilis demonſtrat, inquiens. Senſibilis ſubſtantia mutabilis eſt. Senſibilem ſubſtantiam appellat omnem ſubſtantiam, quæ aliquo ſenſu, vel ſenſibus percipitur. Dicit autem omnem huiuſmodi ſubſtantiam eſſe mutabilem, & omnem mutationem ex oppoſitis, aut medijs eſſe: id eſt, ex eſſe, ad non eſſe; vel ex non eſſe ad eſſe; vel ex eſſe ad eſſe. In tranſmutatione, quæ fit ex oppoſitis excludens quamplurimas oppoſitiones, ait, ex omnibus oppoſitis non fieri tranſmutationem ſicut albũ ex voce. Et ſubiungit. Verùm ex contrario; id eſt ex priuatione. Quod eſt quodammodo ex vniuoco: ſicut ędificatum ex inędificato, & album ex non albo; quæ cõtrarietates proprio nomine carent; de quibus in primi phyſicorum Capite quinto, & in decimi Capite ſeptimo, & in ſeptimi Libri Capite ſeptimo, vbi ait. Etenim contrariorum quodammodo eadem ſpecies eſt: priuationis nanque ſubſtantia oppoſita ſubſtantia: vt ſa-

nitas ægritudinis; sanitatis absentia ostenditur ægritudo. Quia verò generatio est mutatio ex non esse ad esse: esse, est nominatum; non esse, id est, priuatio cum sit cõtraria, & opposita habitui, species ab ipsius habitus priuatione denominatur: vt album, & non album. Quibus positis materiam, & subiectum principium esse eorum, quæ mutantur hac ratione probat. Si itaque, inquit, ex oppositis, aut medijs mutatio fit: aliquid subesse necesse est, quod in contrarietates mutetur. Quibus verbis intelligit omnem mutationem alicuius terminati, vel interminati esse mutationem, hocq; aliquid, quod mutatur materiam, & subiectum esse talis mutationis. Iccirco subiungit, Non enim contraria transmutantur. Sed dicendum est id transmutari, in quo contraria insunt. Itaq; ex contrario in contrariũ id transmutatur, quod est sub cõtrarijs. Hoc idem alia ratione probat, inquiens. Hoc quidem permanet, Hoc; id est, forma permanet; contrarium verò non permanet; id est, priuatio non permanet. Ex quibus constat tum ratione formę necesse esse alicuius subiecti esse formam; tũ ratione priuationis, alicuius priuationem esse subiecti necesse est. Quare infert conclusionem dicens. Est igitur aliquid tertium pręter contraria, quod tertium ait esse ipsam materiam. Ex quibus perspicuum est & materiam esse, & quid sit materia. Deinde probat materiam esse subiectũ mutationis in vnoquoq; quatuor prædicamentorum, in quibus mutatio fit, inquiens. Si itaq; transmutationes sunt quatuor, aut secundum ipsum quid, aut secundum quale, aut quantum, aut vbi: & transmutationem, quæ fit secundum quid esse generationem simplicem, & corruptionẽ, & transmutationem, quæ fit secundum quantum esse augmentationem, & diminutionem; alterationem, quæ secundum passionem; & lationem, quæ secundum locum.

Quibus

Quibus clarum est omnem mutationem in contrarietates fieri. Prędictis igitur rationibus oportet in vnoquoq; quod mutatur, materiam mutari, quæ ambo potest; id est, in qua est potentia ad ambo contraria. Sed cum alterum ex altero. Quia ante nostrum philosophum quidam antiquiores philosophi fuerunt, qui opinati sunt omnes res in principio fuisse simul, quod principiū chaos appellauerunt, quorum positionem hic refellit Aristoteles tanquam non sufficientem. Si quidem res inuicem materia differunt. Alioqui ex illorum positione sequeretur omnia esse vnum, & non esse, quemadmodum sunt, ferè infinita. Consequentiam Aristoteles sic probat. Cum intellectus vnus sit; id est, vna caussa moués, quod est Diuinum principium & ratione orbium, & ratione substantiarum ab omni concretione materiæ separatarum, ad inferiora est vnum principiū, & vnus intellectus in hoc proposito. Cum verò sit vnus intellectus, si vna tantum esset materia, non autem multæ penè infinitæ, vnum esset ortum id, quod potentia erat, & nō hæc omnia, quæ sunt penè infinita. Ex quibus omnibus colligit, & concludit tres esse caussas, & tria principia rerum mutabilium, quorum duo sunt ipsa contrarietas, cuius contrarietatis hoc alterum, est ratio, & species; hoc alterum, priuatio, & tertium, materia.

## CAPVT III.

*POst hæc ostendendum est, quod neque materia fit, neque species: dico autem extrema. omne enim quod transmutatur aliquid est, & ab aliquo in aliquid transmutatur: ab aliquo quidem primo mouente, in quo verò materia: in quod autem, speciem. In infinitum itaque procedet, si non solum æs rotundum fiat, verum ipsum rotundum, aut æs: quare necesse est stare. Deinde quod ali-*

quid

*quid est, qualibet substantia est, quæ ab vniuoco fit. Quædam enim natura substantiæ sunt, quædam autem alia: aut enim natura, aut arte, aut fortuna, aut casu fiūt. Sed ars quidem principium in alio, natura verò principium in ipso: homo namq; hominem generat: cæteræ caussæ priuationes horum sunt. Substantiæ uerò tres: quædam materia, quæ quod quid est eo ipso quod apparet, quæcunque enim tactu non coadhærentia sunt, materia & subiectum sunt: quædam verò natura quod quid, & quidam habitus ad quem: tertia item, quæ ex ijs, quæ singularis est, vt Socrates, aut Callias. In quibus igitur quod quid non est præter compositam substantiam, vt domus forma non nisi ab ipsa arte, nec est generatio, aut corruptio eorum; verum alio modo sunt, & non sunt, tum domus, quæ absque materia, tum sanitas, & omne quod secundum artem est: sed si quidem sunt, in ijs sunt, quæ natura fiunt. Propter quod nō malè Plato dixit, quod species eorū sunt, quæ natura sunt: siquidem species sunt aliæ ab ijs: vt sunt ignis, caro, caput. cuncta namque materia sunt, & maximè eius substantiæ, quæ est vltima. Caussæ itaque mouentes tanquam antea ortæ existunt, quæ verò ut ratio simul sunt. cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est: & forma æneæ sphæræ simul atq; ænea sphæra. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est, in quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus. omnem namq; fortassis impossibile est. Manifestum itaq; est, quod præter hæc non oportet ideas esse. homo nanque hominem generat, singularis aliquem. Similiter etiā in artibus: medendi enim ars ratio sanitatis est.*

## EXPOSITIO.

Postquàm in proximè præcedenti Capite principia intrinseca substantiæ sensibilis esse tria, scilicet materiam, speciem, & priuationem probauit: in hoc declarat quid nā sit & materia, & species: quæ

sunt

sunt principia permanentiæ, quibus & mouentem caussam esse addendam docet. Item quid substantia, & quotuplices substantiæ sunt tradit. In primis autem, vt etiam in Septimi Libri Capite octauo disseruit, vt probet nititur in ipsis transmutationibus neq; formam, neque materiam fieri, sed id, quod est ex eis compositum: id est, ipsum totum. Quare ait. Post hæc ostendendum est, nec materiam fieri, nec speciem. Et subiungit. Dico autem extrema: extremam speciem appellat, in qua fit trāsmutatio, quæ terminus est ipsius transmutationis. Extremam item materiam vocat, in qua fit transmutatio. Vocat, inquam, extremam tum ratione termini, tum ratione præcedentiū mutationum. Id quod sic probat dicens. Omne quod transmutatur aliquid est, id est, aliquid eorum, quæ in quatuor supradictis prędicamentis sunt. Deinde, inquit, & quod ab aliquo in aliquod transmutatur, ab aliquo quidem ait primo mouente: primo, id est, proprio, & immediato. In quo verò fit transmutatio est materia. In quod, tanquam in terminū transmutationis transmutatur, est ipsa species. Quibus ita explicatis mox hac ratione argumentatur. Si hæc; id est, species, & materia in transmutationibus transmutarentur, necessariò daretur processus in infinitum, & nūquàm esset status in rebus transmutabilibus; at quoniam datur status in rebus transmutabilibus, Ergo vltima materia, & vltima species non transmutantur. Quæ verò ratione transmutationis extrema dicuntur; hæc ratione primi actus propriæ, & intrinsecæ caussæ primi dicuntur; id est, prima materia, & prima species. Ex quibus clarè patet, illud solenne Auerrois dogma dicentis: Formam educi de potentia materiæ in philosophia Aristotelis non habere locū, nec terminos, quibus significatur esse terminos philosophię Aristotelicæ. Id quod etiam videre est in Septi-

mi Li-

mi Libri Capite octauo, vbi de ijs pluribus agit, & conclu dendo ait. Manifestum igitur est neque speciem fieri, aut quodcunque nominare oportet formam, quæ in sensibili est; id est, quæ forma in re sensibili est. Et subiungit. Nec est eius generatio; id est, formæ, quã appellat quod quid erat esse. Non esse hæc, inquit, id est, non esse separatam, quoniam ijs, quæ sunt separata propriè cõpetit hæc. Ideò dixit, Nec est hæc; id est separata ab ipso, cuius est forma. Posteà determinat quid sit substantia, & quot substantiæ sint mutationi obnoxiæ, dicens. Quod aliquid est, quælibet substantia est, quæ ab vniuoco fit, quod, & aliquid; qui ambo termini substantiam ex sua proprietate significant. Ait autem quamlibet huiusmodi substantiam ab vniuoco fieri; id est, ab eo, quod est eiusdem nominis. Vtrumq; sic probat. Quædam natura substantia sunt, & quędam alia: id est; quędam substantiæ natura caussę fiunt, & quædam alia; id est, alia caussa: quas caussas deinde suo ordine enu merat, inquiens. Aut natura, aut arte, aut fortuna, aut casu huiusmodi substantię fiunt. Deinceps quid vnaquæq; harum caussarum sit explicat, dicẽs. Ars est quod habet prin cipium in alio: id est, ars, quę in re apparet, habet principium mouens in mente artificis. Naturam ait esse id, quod in se principium habet, sicut homo hominem generat. Hę tantùm duę caussę ad determinatum finem agunt: De cęteris caussis quia non agunt ad determinatũ finem, vt fortuna, & casus, ait: Cęteræ caussæ, id est, fortuna, & casus, priuationes harum sunt; id est, Naturæ, & artis. Hactenus de substantijs, quæ vt quoddam totum considerantur egit; deinceps, vt distinctè in suis rationibus considerentur, tra ctaturus, sic incipit: Substantiæ tres, quarũ quædam materia, quę quod quid est eo ipso, quod apparet. Nã materia ex sese nec est quid, nec quale, nec quantũ, nec vllũ cęte-

rorum,

rorum, quę in prędicamentis cōtinentur, sed eo ipso, quod apparet, dum trāsmutatur idipsum quod apparet, ratione comperimus esse subiectum huius transmutationis, esseq; id in quo fit hæc transmutatio; tum verò id quod transmutatur fieri ex ipsa materia; ideò dixit. Eo ipso, quod apparet. Quoniam ex sese nec est quid, nec quantum terminatum, vel interminatum, nec vllum cæterorum, quę in prædicamentis continentur. Quoniam verò materia, & forma sunt genere diuersa ratione suorum primorum; id est ratione propriæ naturę, vt in quinti Libri in extremo Capitis vigesimioctaui legitur; ideò nec materia in formam, nec forma in materiā possunt resolui, nec ambo in idem. Quare in cōposito tactu, & non coadhęrentia sunt. Quanuis autem in definitione totius, vt planum est in Septimi Libri Capite decimo, etiam materia sit pars definiti; non tamen cum hanc partem definiendo dicimus esse, hoc esse habet ratione suiipsius, sed ratione alterius partis; id est, formæ, quę est quod quid erat esse. Quapropter hæ duę diuersę naturę in suo definito non sunt per coadhęrentiam, sed per contactum; Iccircò subiungit. Quæcunque tactu non coadhęrentia sunt, materia, & subiectum sunt. Aliam substantiam tribus nominibus appellat; id est, quandam naturam, quod quid, & quendam habitum ad quem. Natura quanquā plura significat, in primis verò vnamquamq; caussarum; tamen in hoc proposito in habentibus animā, ipsam animam significat, & etiam omne intrinsecum principium mouens. Quod quid significat & formam totius, & quod quid erat esse, quod toto Septimo Libro est videre. Quidam habitus ad quem est ipsa singularis species totius compositi, quæ & cū conditionibus materiæ est. Quā planè speciem ideò habitum appellat, quia forma habet materiam, & materia formam; actus verò qui est habitu

C dinis

dinis alterius ad alterum est ipse habitus. Ad quem; id est, ad quem habitum dicitur & forma forma, & materia materia. Tertiam substantiam ait esse eam, quę ex ijs duabus componitur; id est, ex materia, & forma, quod est ipsum singulare, sicut Socrates, aut Callias. Ad hæc conatur probare non esse ponēdas species à materia separatas; id est, ideas, in ijs, quæ vel ab arte, vel à natura fiant. Non in ijs, quæ ab arte, quia quod quid artificiatorū est ipsa substantia totius, quæ & composita substantia dicitur: & etiam quod quid eorum est forma, quę est in mēte artificis: pręter hęc artificiata quia non habent aliam speciem substantialem, ideò ait. In quibus quod quid non est pręter compositam substantiam; vt domus forma; nisi ab ipsa arte; artem dicit formam in mente artificis. Amplius ait artificiatorum non esse generationem, nec corruptionem; sed alio modo & esse, & non esse, & artificiata, & eorum formas in mente artificis. Etenim artificiata sunt forma cum materia: formæ verò, quę sunt in mente artificis, sunt quędam animæ passiones. Quoniam igitur pręter has horum non sunt aliæ formę; ideò dicendum est, artificiata non habere species à materia separatas. Prętereà probaturus nec illorum quæ natura sunt, & fiunt esse species separatas, inquit: Si quidem sunt, in ijs sunt, quę natura fiunt: id est, si quidem sunt species substātiales à materia separatæ, sunt in ijs, quę natura sunt, & fiunt. Verùm quia Plato in suo modo philosophandi posuit eorum esse species separatas, quę natura sunt, & fiunt; ideò Aristoteles ipsius sententiā comprobat, huiusmodi tamen conditione apposita, scilicet, si species separatæ, sint aliæ ab ijs speciebus materialibus, quę sunt, vt ignis, caro, caput, & alia eiusdem generis, quæ cuncta cum materia, & in materia sunt; maximè verò subiungit, eius, quæ vltima est; id est, forma totius videli-

Plato

videlicet alicuius animalis. Quę enim recensuit sunt partes, quę in ordine naturę hoc animal vltimo loco habent, elementalia, similaria, integralia, vltimo loco sequitur aliquod animal. Quamobrem à sufficienti partium examinatione planum fit preter hec materialia species non esse separatas, & per consequens non bene Platonem illas posuisse. Hęc enim species est in materia, & cum materia. Quin potius si à materia esset separata, non esset species materiæ; propterea Aristoteles eam appellat, quod quid erat esse: non autem quod quid est esse. Deinde affirmat caussas mouentes in comparatione eorum, quorum sunt caussę in ordine naturę esse priores, dicens. Caussę mouentes tanquam antea ortę existunt. Et paulò post asserit caussas, quæ vt ratio sunt esse simul cum ijs, quorũ caussę sunt. sicut sanitatem in corpore tunc esse, cum sanum corpus est: & ęneæ sphęræ formam tũc esse, cum ęnea sphęra est. Verumtamen animaduertendum est nostrum philosophũ quamuis quàplurimis locis suæ philosophiæ de nostri animi immortalitate tractet, vt in proposito generationis Libri Secundi Capite secundo, in proposito humanæ in pręsenti vita felicitatis in octauo Ethicorum, in proprio tractatu de anima Libro tertio: in præsenti tamen dum agit de substantia, & de substantiarum principijs, etiam in horum contemplatione nihil obstare inquit, quominus animus noster post mortẽ remaneat, & quominus sit immortalis ijs verbis. Si autem aliquid posterius remanet considerandũm est: id est, Dignum consideratione est inquirere, an post dissolutionem huius cõpositi aliquid non obnoxium simili corruptioni remaneat? ipse sibi respondendo ait. Nihil impedire animam esse talem, non quidem omnem, sed tantũm intellectiuam, de omni vero ait dubium esse. Ideò anima intellectiua ab eo intellectus ap-

pellatur, quia in eius philoſophia tota animæ rationalis ſubſtantia eſt pars intellectiua. Nam intellectus ſuam propriam operationem operatur in omnibus, & cum omnibus animæ potentijs & intrinſecis, & extrinſecis in vnaquaque, & cum vnaquaque ſuam ſpeciem vniuerſalem formando. Cum igitur de ſubſtantijs deq; earum principio in ſuo propoſito, & ordine diſſeruerit, ex prædictis à ſufficienti partium examinatione infert, dicens. Manifeſtum eſſe præter ea, quæ ſuppoſita ſunt in ſubſtantijs, & earundem cauſſis in rerum cauſſis ideas non eſſe neceſſarias. Quod generationem verò hominem ab homine, inquit, generari, nō autem ab aliquo homine à materia ſeparato, vt ſunt ideæ, ſed ab aliquo ſingulari aliquem ſingularem. Idem in artibus ait facile videri; id eſt in ijs, quę ex arte fiunt: vt in arte medendi eſt ratio ſanitatis. Quare concludit nec in naturalibus, nec in artificiatis ideas oportet eſſe. Ex ſupradictis duo præcipua dogmata, quibus philoſophia Ariſtotelica à Platonica diſcrepat mihi eſſe videntur. Quorum quidem alterum eſt ſpecies, alterum vniuerſale. Licet verò vtriſque; id eſt, & ſpeciebus, & vniuerſalibus vterque eorum vtatur in ſuo genere, & ratione philoſophandi: quia tamen alter ab altero tam diſcrepanti, & tam diuerſo modo philoſophatur, vt, iudicio meo, fieri non poſſit, vt inter ſe vllo modo componantur, aut concilientur. Quoniam igitur ſcholæ poſt Porphyrium, & Alexandrum Græcos ijs duabus philoſophijs in vnam communem permixtis, & confuſis in ſuo modo philoſophandi vtuntur; quæ (vt dixi) fieri non poteſt, vt vlla ratione componantur, aut concilientur ſua natura; hinc factum eſt, vt alio, atque alio, & maxime diuerſo modo à philoſophantibus compoſitæ, videantur. Atque hinc originem ſumpſit diſſenſio, & diuerſitas dogma-

tum

tum philoſophiæ, & peregrinorum terminorum excogitatio, vt vnuſquiſque ſua propria, & peculiaria dogmata tueretur. Quomodo verò vterque illorum in ſuo modo philoſophandi vniuerſalibus vtatur, infra in expoſitione Quinti Capitis dicemus. Vterque quidem illorum in ſuo genere philoſophandi (vt dictum eſt) ſpeciebus vtitur. Verum hæc eſt inter illos controuerſia. Plato enim, vt in Parmenide Capite primo, ſecundo, & tertio ponit has ſpecies rerum naturalium per ſeſe ſine materia exiſtentes. Sicut ait, vnus, & idem dies & in ſe vnus, & idem eſt, & vbique vnus, & idem: ita & ſpecies in ſeipſis ſeparatæ à materia, & in ipſa materia eædem exiſtunt. Quam quidem poſitionem Platonici varijs interpretationibus extorquent, cum ab Ariſtotelicis refelluntur, ipſi etiam inter ſe diſſentientes. At Ariſtoteles eiuſmodi ſpecies naturalium ait non eſſe à materia ſeparatas, ſed eſſe in materia, & à materia non poſſe ſeparari ita, vt poſt ſeparationem ſint eorum ſpecies, quorum erant ſpecies. Cum itaque loquitur de ſpeciebus ſubſtantialibus à materia ſeparatis, eas appellat quod quid erat eſſe: non autem quod quid eſt eſſe. In eius namque modo philoſophandi ſine materia materialium ſpecies ſunt æquiuocè ſpecies: ſicut abſciſſa manus non eſt manus niſi æquiuocè: ita & anima noſtra poſtquam à corpore, cuius eſt forma ſeparatur, in philoſophia Platonis etiam tunc appellatur anima, & dicitur eſſe anima: at in philoſophia Ariſtotelis quod erat anima, & quod eſt ſubſtantia intellectiua ſeparata. In terminis itaq; philoſophię Platonis forma ſeparata dicitur forma eſt, at in philoſophia Ariſtotelis forma erat. Quoniam igitur, hoc eſt, & hoc erat, paruũ diſcrimẽ philoſophãtibus inferre videtur; ideò eſt in modo philoſophandi perturbationis, & confuſionis

fuſionis altera præcipua pars; immo ex duabus præcipuis prima. Hoc autem paruum diſcrimen philoſophantibus videri argumento nobis eſt: quia nemo philoſophātium, qui ante Ariſtotelem floruerunt legitur vſus hoc termino, quod quid erat, eſſe; neque illorum, qui eum ſunt conſecuti ex eius mente reperitur vſus, neque qui ſaltem quęrat. Cur ſolus Ariſtoteles vſus eſt eiuſmodi termino? Quoniam igitur nemo eſt, qui quęrat, quid ſit id, quod talis terminus ſignificat; ideò hanc fuiſſe cauſſam confuſionis in modo philoſophandi & ipſa diſſenſio, & peregrini termini iam vſu recepti, & iſte proprius neglectus, & maximè omnium Liber Septimus metaphyſicæ non in ſenſu, in quo communiter habetur ab expoſitoribus; ſed in quo ipſemet author eum ſcripſit, teſtantur. Hunc quidem Septimum Librum in animo habeo prępotentis Dei auxilio fretus pro ingenij mei exiguitate breuiter, ſtrictimque exponeret, iam laborioſo, & tot vigiliarum, ac lucubrationum operis à principio Quinti Libri initium ducendo, quoaduſque iterum hunc, quem properanti ſtylo percurro, maiore diligentia elucubrando limatiorem, ac fœcundiorem effecero. In qua quidem expoſitione non is ſum, qui tantum mihi ſumam, vt exiſtimem me poſſe philoſophiæ Ariſtotelis in ſuo genere philoſophandi lumen aliquod afferre; ſed qui certè elaborem, & enitar, vt eius verborum proprietatem pro mea tenuitate ita declarem, vt eius philoſophia ipſius verbis, non peregrinis terminis in ſuo nitore, & methodo percipiatur. Methodum voco breuem ſyllogiſticam enarrationem.

CA-

## CAPVT IIII.

*Caussæ verò, atque principia quodam quidem modo alia aliorum sunt, quodam verò modo non: si quis vniuersaliter dicat, & secundum analogiam, omnium eadem. Dubitare nanque quispiam possit vtrũ alia, an eadem principia, & elementa substantiarum sint, & eorũ, quæ ad aliquid sunt: & eodem modo in quolibet prædicamento. At absurdum est, si omnium eadem sunt. Ex eisdem enim erit ad aliquid, & substantia: quid igitur hoc erit? præter enim substantiam, & alia, quæ prædicantur nihil commune est. prius autem elementum est, quàm ea quorum est elementum. At verò nec substantia eorum, quæ ad aliquid sunt, elemẽtum est: nec aliud horum substantiæ. Item quomodo contingit omnium eadem esse elementa? nullum enim elementorum idem potest esse ei, quod ex elementis cõponitur: veluti ipsi BA, ipsum B, & ipsum A, neq; sanè ullum intellectualium, vt vnum, vel ens elementum est: hæc enim unicuiq; compositorum insunt: nullum igitur eorum, neq; substantia, nec ad aliquid erit: at necessarium est, non sunt ergo omnium eadem elementa. An, vt diximus, quodammodo quidem sunt, quodammodo verò non? veluti fortassis corporum sensibilium, calidum tanquam species, & alio modo frigidum, vt priuatio: materia verò quod primò per se potentia hæc erat. Substantiæ verò tũ hæc, tum ea ex ijs, quorum hæc principia sunt: aut si quid ex frigido, & calido fit vnum, vt caro, aut os, necesse profectò est aliud ab ijs esse illud, quod factum est: horum itaque eadem elementa, atq; principia sunt, alia verò aliorum. Omnium vero ita quidem dicere non est, sed analogicè: quemadmodum si quis dicat quod principia sint tria, species, priuatio, & materia. verùm vnumquodque horum, circa vnumquodq; genus aliud est: vt in coloribus album, nigrum, superficies, lumen, tenebræ, aer: ex ijs vero dies, & nox. Cum vero non solum, quæ insunt caussæ sint, verumetiam ex ijs,*

quæ

*quæ extrinseca sunt, illud quod mouet, patet, quod aliud est principium, aliud elementum, ambo verò caussæ sunt: & principium in hæc diuiditur: quod autem vt mouens vel sistens est, principium quoddam, & substantia est. Quare elementa quidem analogicè tria, caussæ verò, atque principia quatuor: aliud verò in alio, & prima caussa, vt mouens in alio alia: sanitas, morbus, corpus mouens, ars medendi. species, inordinatio talis, lateres, mouens ædificatiua: & nimirum in hæc diuiditur principium. Cum autem mouens in naturalibus quidem homo; in ijs verò quæ à mente fiunt ipsa species vel contrarium sit. modo quodam tres profectò caussæ erunt, alio verò modo quatuor: sanitas enim quodammodo est ars medendi, & ædificatiua species domus: & homo hominem generat: præter hæc item cuncta mouens tanquam omnium primum.*

## EXPOSITIO.

CVm in superioribus Capitibus de substantijs, deq; eorum caussis quę, & quot nam sunt suo ordine disseruerit; iam de multiplici modo, quo caussæ ad sua caussata se habeant, & dicantur sic disserere incipit. Caussæ verò, atque principia quodammodo alia aliorum sunt; & quodammodo non sunt alia aliorum, sed eadem omnium: id est eadem omnium analogicè, & eadem omnium vniuersaliter. Quæ vt distinctè pateant hoc dubium examinandum proponit. Verum alia, an eadem principia sunt substãtiarum, & eorum, quæ ad aliquid sunt; & eodem modo cęterorum omnium, quæ in quolibet prędicamentorum reperiũtur? Cui respondens primò ait. Si omnium eadem principia sunt, absurdum esset; si videlicet ex eisdem & substantia, & ad aliquid esset. Quare ac si miraretur ait quid hoc erit? tam diuersorum generum idem principium. Verum quoniam præter substantiam, & alia, quæ prędicantur ait nihil

hil commune esse; ideò infert non ergo omnium eadem principia. Porrò pergit. Prius autem elementum est, quam ea, quorum est elementum. Atque ideò neque substantia eorum, quæ ad aliquid sunt, elementum est. nec aliud horum substantiæ elementum est: quoniam omnia, quæ in prædicamentis sunt, simul sunt. Item ait quo modo contingit, vt sint eadem omnium elementa cum nullum elementum sit idem ei, cui est elementum? id est, cum elemẽta non seruent suam speciem in elementato: sicut syllaba B A, quæ est composita ex elementis B, & A. Quorum sanè elementorum neutrum seruat suam speciem in ipsa syllaba. Nam si seruaret, non esset B A, sed esset B E A. Quapropter si substantia esset elementum cæterorum, sequeretur substantiam non esse amplius substantiam. Hoc idem dicendum de vnoquoque quæ sunt in prędicamentis. Quia verò priores philosophi, qui in suo modo philosophandi formas à materia separabant, cogebantur ponere & materiam intelligibilem, sicut est punctus, linea, superficies, & corpus: ita & elementa intellectualia, sicut vnum, & ens; ideò ait. Quod nec vllum intellectualium est omnium elementum: sicut vnum, vel ens, quæ sunt intellectualia elementa: & ideò ait, neq; vllum intellectualium, vt vnum, vel ens est omnium elementum. Hæc duo, inquit, vnicuiq; compositorum insunt: composita in hoc proposito appellat quæcunque cum complexione dicuntur: sicut Petrus est vnus, tricubitus est vnus, albus est vnus, & ita reliquis compositis si hec intellectualia elementa addita sint, statim vnumquodq; eorum erit vnum, & ens. Quæ si sic se haberent, inquit, sequeretur neque Petrum esse Petrum; neque tricubitum tricubitum; nec album, album; sed vnumquodq; horum vnum esse, & omnia vnum, quod est incõueniens. Huiusmodi rationes

adducit in quamplurimis locis metaphysicalium quęstionum. Quæ profectò expresse sunt aduersus eos, qui in suo modo philosophandi vtuntur transcendentibus, & eos, qui putant subiectum metaphysicæ esse ens vniuersale. Nā vniuersa philosophia Aristotelis huiusmodi vniuersalia vbique respuit. In hoc verò proposito cum dixerit nec substantia substantia, nec ad aliquid ad aliquid, subiungit. At necessarium est; hoc est in modo philosophandi necesse est, vt substantia sit substantia, non verò vnum; ad aliquid ad aliquid, non autem vnum: ita & vnumquodq; vt sit id, quod est tum secundum sensum, tum secundum rationem. Pro quorum solutione ait. An, vt diximus, hoc est, initio huius Capitis, quodammodò quidem sunt, quodammodo verò non. Quæ deinceps exemplis explanat. Primò nō esse eadem omnium principia, sed aliorum alia; singulorum exempla proponit. Eadem autem esse principia omnium exemplo rationum communium ostendit. Primum autem omnium proponit aliquod singulare, in quo considerat calidum, & frigidum, quorum primum subiectum, & ex ijs compositum perpendit. Itaque ait. Veluti fortassis corporum sensibilium calidum tanquam species si consideretur, & alio modo frigidum tanquam priuatio, & horum materia prima, hoc est proprium subiectum, quæ in composito hæc ambo potentia erat. Verum quoniam exēplum formæ, & priuationis in calido, & frigido, quæ sunt species accidentales adduxit, & quia propositus est sermo de substantijs; ideò subiungit. Substantiæ verò tantum hæc, tum ea ex ijs, quorum hęc principia sunt; id est, & formam & priuationem, & materiam, & quod ex ijs constat, substantias esse. Hoc verò exemplum est in ijs, quæ per modum generationis fiunt, & considerantur. Deinde afferens aliud, quod perpenditur in transmutatione per modum

dum

dum digestionis ait. Aut si quid ex frigido, & calido fit vnum, vt caro, aut os. In qua quidem transmutatione opus est id, quod factum est esse ab ijs diuersum, ex quibus factum est. Mox subiungit. Horum; id est, singularium propositorum eadem elementa, atque principia sunt: alia verò aliorum; id est, aliorum singularium alia principia, & caussæ. Posteà, inquit, omnium verò ita dicere eadem principia esse; id est, ita singulariter, ait, non esse; sed, inquit, analogicè; id est, proportionaliter omnium eadem principia, & elementa sunt dicenda. Atque hoc modo singularium singularia sunt principia, & ita aliorum alia: omnium verò eadem tali modo non sunt, sed analogicè; hoc est, vt dictum est, proportionaliter; id est, Analogicè eadem species omnium, quæ in prędicamentis continentur; analogicè priuatio eadem omnium eiusmodi, analogicè eadem materia omnium eiusdem generis. Quare quemadmodum, inquit, si quis dicat, principia esse tria speciem, priuationem, & materiam; id est, omnium, quæ in prædicamentis continentur, analogicè eadem. Quia item hęc tria principia, scilicet, species, priuatio, & materia, & horum vnumquodq; circa vnumquodq; prædicamentorum aliud est; ideò ait. Verum vnumquodque horum circa vnumquodque genus aliud est. Sicut in genere colorum superficiei albæ, vel nigræ caussæ sunt album, nigrum, & superficies; & diei, vel noctis; lux, tenebræ, & aer. Quæ quidem horum caussæ sunt eædem, & aliorum aliæ. Analogia in hoc proposito est diuersarum rationum identitas. In distincta cognitione eorum, quæ sunt in prędicamentis sicut aliud est substantia, aliud quantùm, aliud quale, aliud alia: ita vniuscuiusque eorum alia species, alia priuatio, & alia materia. Atque sicut vnum, quod ex ijs omnibus constat, quia est diuersarum rationum dicitur

vnum analogum : ita & eius ſpecies eſt analogicè dicenda ſpecies vna, & priuatio analogicè dicenda vna priuatio, & analogicè dicenda vna omnium materia vna. Hoc itaque modo principia ſunt eadem analogicè omnium, quæ in prædicamentis continentur. Quoniam verò non modo hæ tres intrinſecæ cauſſæ ſubſtantiarum ſunt cauſſæ, ſed etiam ex ijs, quæ extrinſeca ſunt, illud, quod mouet, eſt cauſſa ſubſtantiæ generabilis, & corruptibilis; ideò dicendum eſt, aliud eſſe principium, aliud elementum, quamquam ambo ſint cauſſæ, & item aliud elementum, & aliud cauſſam; tametſi ambo principium. Præterea dicit hoc principium mouens, vel ſiſtens eſſe quandam determinatam ſubſtantiam. Quia verò principium mouens ad vtramque partem tranſmutationis ſe habet; ideò dixit, mouens, vel ſiſtens. Subſtantiam verò eſſe hoc principium mouens, vel ſiſtens, liquet. Quod enim eſt principium, & cauſſa ſubſtantiæ, id ſit ſubſtantia neceſſe eſt. Ex quibus ſequitur tria eſſe elementa analogicè, cauſſas verò eſſe quatuor analogicè omnium, quæ ſunt in prædicamentis: Quia item ſequitur alia in alijs eſſe; ideò ait. Aliud verò in alio, & prima cauſſa vt mouens in alio alia; ſicut ſanitas, morbus, corpus amborum ſuſceptiuum, & mouens, ars medendi. Item forma, inordinatio talis, lateres, mouens ars ædificatiua. In hęc, ait diuiditur principium; id eſt in elementa, & cauſſas; ſicut & cauſſa in elementa, & principia. Quanquam autem hę quatuor cauſſę ſint in aliquo modo conſiderationis, tamen tum quatuor, tum tres dicendæ ſunt, quatenus cauſſa mouens ſit ipſa ſpecies & in naturalibus, & in ijs, quę ex arte fiunt. Cum igitur, inquit, in naturalibus mouens cauſſa ſit homo; in ijs autem, quæ ex arte fiunt ipſa ſpecies, quę eſt in mente artificis, vel contrarium, quod eſt

priua-

priuatio. Colligit itaque ex prędictis quodammodo tres, quodam verò modo quatuor caussas esse. Quemadmodum in ijs, quę ex arte fiunt, sanitas est quodammodo ars medendi, & species domus ars ędificatiua: & in natura homo hominem generat. Postremò ait præter has caussas, ex ijs, quæ extrinseca sunt, est caussa mouens communis, & omnium horum prima, & quę cuncta mouet. Quę planè si prima dicenda hac ratione est, quia nobis propinquior, primum est cœlum, deinde substantię separatę, postremò super omnia supereminens Deus. Quod si absolutè prima dicenda esset. Summa est Deus maximè sublimis, inferior substantię separatę, infimum cœlum.

## CAPVT V.

*CVm autem quædam separabilia, quædam inseparabilia sint, illa sunt substantiæ: propter quod hæc omnium caussæ sunt. siquidem absque substantijs passiones, & motus non sunt: deinde hæc erunt, anima fortassis, & corpus, aut intellectus, appetitus, & corpus. Item alio modo principia sunt eadem, vt actus, & potentia. verum hæc etiam in alijs alia, & alio modo sunt: in quibusdam enim quandoq; actu, quandoq; potentia est: vt vinum, aut caro, aut homo; at hæc in prædictas caussas cadunt. actus nanque est species, si separabilis sit; item quod ex ambobus: priuatio etiam vt tenebræ, aut ægrotans: potentia autem materia: hoc nanq; est, quod ambo fieri potest. Aliter autem actu, potentiaq; differunt, quorum non eadem materia est, quorum non eadem species: sed diuersa est: veluti hominis caussa elementa, ignis, & terra, & materia, & propria species: & si quid aliud extrinsecus est, vt pater, & præter hæc sol, & obliquus circulus; quæ nec materia, nec species, nec priuatio, nec eiusdem speciei sunt,*

*uerum*

*uerum mouentia. Præterea uidere oportet, quod quædam est uniuersaliter dicere, quædam minimè. Omnium itaq; prima principia, quod actu primum, & aliud quod potentia. At illa, quæ uniuersaliter dicimus, non sunt: singulare nanq; principium eorum est, quæ singularia sunt. homo enim hominis uniuersalis profectò nullus est: uerum Peleus Achyllis: tui autem pater. & hoc quidē B, ipsius BA, & ipsum B, omnino ipsius BA, simpliciter. deinde species eæ, quæ substantiarum sunt: uerum aliorum aliæ caussæ, ac elementa, ut dictum est. ueruntamen eorum, quæ non in eodem genere sunt colorum, sonorum, substantiarum, quantitatis, eo quod analogon: eorum quoque. quæ in eadem specie sunt diuersa non specie. sed quoniam singularium aliud, & tua materia, & species, & quod mouit, & species, ac mea materia: uniuersali uerò ratione eadem. Quæstio igitur quænam principia, siue elementa substantiarum ad aliquid, & qualitatum sint, & utrum eadem, an diuersa, patet, quod cum multipliciter dicantur, uniuscuiusque sunt. at si diuidantur, non eadem, sed diuersa, nisi quod alio modo eadem. analogicè nanque eadem, quia materia, species, priuatio, mouens. ac illo modo substantiarum caussæ, quasi omnium caussæ sunt, quia peremptis perimuntur. Præterea quod primum, actu est: illo uerò modo, alia prima, quæcunque contraria, quæ nec ut genera, neque multipliciter dicuntur, item & materia. Quæ itaq; sensibiliū principia sunt, & quot, quoue modo eadem, & diuersa, dictum est.*

## EXPOSITIO.

IN proxime pręcedenti Capite quonam modo alię caussæ aliorum sint, & non eædem omnium, & quomodo eædem analogicè omnium disputauit: in hoc verò alios modos, quibus inuicem se habeāt caussæ ad sua caussata exponit. Primum omnium quod spectat ad substantias, & ad accidentia inquit. Cum autem quędam separabilia, & quędam inseparabilia sint: se-

parabi-

parabilia; id est, quæ per se existere, vel subsistere possunt: inseparabilia, quæ per se non possunt subsistere. Illa, quæ per se existere possunt, sunt substantiæ: hæc verò alia sunt accidentia. Quamobrem infert substantias esse omnium caussas dicens. Si quidem absque substantijs passiones, & motus; id est, operationes, non sunt. Quę quidem passiones, & operationes in proposito omnia accidentia significant. Posteà quibusdam exemplis explanat quidnam huiusmodi substantię sint, inquiens. Deinde hæc erunt anima fortassis, & corpus; id est, Animam esse substantiam, & corpus organicum, quod est materia animæ, esse substã tiam. Quæ quidem duæ substantię potissimum in homine, re ipsa in instanti mortis distinguuntur: in vita verò ratione, & potentia distinguuntur. Aliud exemplum in cœlo sumpsisse videtur dicens. Aut intellectus, appetitus, & corpus. Quorum vnumquodque est substantia cœlestis. Corpus; id est, orbes, & substantia; Anima ipsius orbis sub specie appetitus est substantia; Anima item sub specie intellectus est substantia: non tamen duæ animæ vnius orbis, sed vna tota, & in toto, & tota in qualibet potentia. Analogicè eadem dicuntur, & simul ea, quæ per figuras prędicamentorum significantur, & eorum item caussę eędem analogicè vocantur, de quibus in proximè superiori Capite egit. Analogicè item eadem dicuntur, quę per actum, & potentiam significantur. De quibus ait. Item alio modo analogicè principia sunt eadem, vt actus, & potentia. De actu, & potentia in toto Nono Libro pluribus egit, pręsertim verò ad hanc rem sexto, & septimo Capite. Atqui quemadmodum in illo primo modo in alijs alia sunt principia; ita in hoc, qui est secundum actum, & potentiam in alijs alia sunt principia secundum actum, & potentiam. Quare idem quandoque actu, & quandoque poten-

tia

tia esse ostendit exemplo vini, carnis humanę, & ipsius hominis. In vino alius est actus, & potentia; alius in carne; & alius in homine. Ipsum enim vinum quandoq; est potentia caro, & homo; quandoque verò actu caro, & homo. Quamuis autem vinum sit potentia caro, & homo: alio tamen modo est potentia in vino ad hominem, & potentia in carne humana ad ipsum hominem. Quę vt ampliore exemplo declaret, pręsupponit, & probat actum, & potentiam in prędictas caussas cadere; id est, in ratione prędictarum caussarum contineri dicens. Actus namq; est species, si separabilis est: actus separabilis est actus substantię ratione separabilis; ad differentiam accidentium, quæ non sunt separabilia. Item ait, actus est, quod ex ambobus constat; id est, ex forma, & materia. Item ait, actum esse & ipsam priuationem quatenus est de ratione specici, & potentia esse materiam, quę ambo fieri potest. Hoc itaq; modo, ait, in prędictis caussis actum, & potentiam contineri. Quibus ita traditis, pergit docere ea, quorum non est eadem materia, nec eadem species, sed diuersa aliter actu inuicem, & aliter potentia differre. Sicut hominis caussę sunt actus, & potentia, non tantum quatenus vt totum consideratur, sed etiam omnium caussarum ipsius hominis caussę sunt actus, & potentia. Quemadmodum hominis caussa vt potentia, sunt ipsa elementa; sicut terra, ignis, & materia: caussa verò hominis vt actus, sunt & propria species, & quę est mouens, vt pater, & cōmunis omnium concaussa, quę est calor cœlestis. Horum vniuscuiusq; alium esse actum, aliam verò potentiam; & aliter differre ab altero vniuscuiusq; horum & actum, & potentiam patet. Totius actus, & potentia sunt principia eadem omnium horum: aliorum verò vniuscuiusque est aliter, & aliter homo & ratione potentiæ, & ratione actus. Quod verò dixit, Sol, & obli-

obliquus circulus; est perinde ac si dixisset. Sol motus sub obliquo zodiaci circulo, hoc idem de toto cœlo intelligendum est; quod quidem cœlum motu, lumine, & calore omnibus transmutabilibus coagit, cum planta plã tam, & cum homine hominem producens. De ijs, quę analogicè eadem dicuntur, hoc erit exemplum. Petri & esse; & actus sunt de ratione formæ, quatenus est hoc aliquid. Si vt totum consideretur & hoc est absolutè ens, si verò hoc quod est absolutè ens, & actus in ea, quæ sunt in prædicamentis ratione diuidatur, vnumquodq; eorum appelletur & ens, & actus, analogicè tamen; id est, proportionaliter, quatenus omnia, & vnumquodq; eorum refertur ad ipsum totum. Sicut omne medicatiuum medicina analogicè dicitur; & omne salubre, sanum; analogicè. Iccirco cultellus medicina analogicè dicitur, & lotium, sanum. De quibus in Quarti Libri Capite secundo, & Libri Decimi Capite tertio. Licet verò omnia eiusmodi eadem analogicè dicantur; vnumquodq; tamen illorũ aliud, & aliud est. Eodem modo & caussæ eędem omnium analogicè, non tamen eædem; sed alię aliorum, si singula respiciantur. Quoniam in expositione tertij Capitis diximus inter philosophiam Aristotelis, & Platonis esse discrimen propter formas, & vniuersalia, quibus vterq; dispari tamen, & differenti modo vtitur; cum de formis supra nonnihil dixerimus, hic locus (vt polliciti sumus) admonere videtur, vt de vniuersalibus etiam paucis perstringamus. Quia igitur vsq; ad eius tempora de vsu ipsorum vniuersalium non rectè sentiebatur, ideò ait. Præterea videre oportet, quod quædam est vniuersaliter dicere, quædam minimè. Quæ statim exemplis declarat. Primò. Quod quædam est vniuersaliter dicere, tametsi quæ vniuersaliter dicimus non sunt. Deinde ait ea, quę sunt esse ipsa singularia, & caussas

E item

item eorum esse singulares: ideò non oportere eas vniuersaliter dicere. De primo ait. Omnium itaq; prima principia, quod actu primum, & aliud quod potentia primum. Æquè ac si diceret. Omnium prima principia sunt actus primus,& potentia prima: primus; id est, proprius. Et statim subiungit. At illa, quę vniuersalia dicimus non sunt: Sicut actùs omnium,& potẽtia omnium non est, sed actus proprius cuiusq; singularis,& propria potentia est. Itaque ait: Singulare namq; principium eorum est, quæ singularia sunt; quemadmodum homo hominis: id est, singularis homo singularis hominis. Quare ait. Vniuersalis profectò nullus est; id est. Vniuersalis homo nullus est. Atque quò magis declaret, & statuat hoc suum propriũ dogma, dicit. Verùm Peleus Achyllis,& tui tuus pater. Atq; vt magis insinuet ipsa singularia, quę sunt, & vniuersaliter non esse dicenda. Et hoc quidẽ B, inquit, est caussa ipsius B A, & ipsum B, omnino ipsius BA simpliciter. Postquam verò tradidit, quod quædam est vniuersaliter dicere, declarauit etiam ea, quæ vniuersaliter dicimus non esse: sed singularia esse,& singulorum caussas,& non esse vniuersaliter dicere; quia singulorum communes rationes vniuersaliter vel analogice dicuntur. Verum quoniam primò singularia sunt, deinde species substantiarum, ideò subiungit. Deinde species eæ, quę substantiarum s[illegible] Ideò dixit. Eę, quæ substantiarum sunt, quia species artificiatorum non sunt: sicut in expositione tertij Capitis est probatum. Nec etiam species accidentium, quę cõtinuè dilabuntur. Species quidem substantiarum eædem numero singularium, quorumcunq; generatio est, sunt ab instanti generationis vsq; ad instans corruptionis. Eæ verò species, & singularia quorum sunt species, substantialiter idem sunt; & amborum aliæ,& aliæ aliorum,& aliorum caussę sunt. Ideò subiungit.

species

iungit. Verùm aliorum aliæ caussæ,& elementa,vt dictum est. Quia verò alia,& alia quædam singula considerantur; quatenus in alio, & alio prędicaměto sunt: vel alia;& alia. quatenus ex alia materia,alia specie, & alio mouente singula sunt: similiter & caussæ, & elementa singula eorum alia,& alia sunt: ideò ait. Veruntamen eorum; id est singulorum,quæ non in eodem genere sunt, colorum, sonorum,substantiarum,quantitatis; id est, diuersa sunt singularia. Nam in philosophia Aristotelis vniuersale de vniuersali non prędicatur; quemadmodum genus de speciebus; sed genus de singularibus specie diuersis; species item de singularibus; & non de alijs speciebus,& singularibus. Atque,quoniam dixerat,aliorum alias caussas esse; subiugit. Nisi quod analogon; id est,nisi analogica eadem. Colores,& soni quanquam ambo sunt in genere qualitatis,quia tamen diuersis sensibus percipiuntur,nec prima eorum alterum in alterum,nec ambo in idem possunt transmutari; ideò & diuersa genera sunt. De diuersitate singularium secundum speciem ait. Eorum quoq; quæ in eadem specie sunt diuersa, supple, non differunt speciē. Sed quoniam singularium aliud & tua materia,& species,& quod mouit: & species,& mea materia; ideò vniuersali ratione eadem. Atq; sicut ea,quæ diuersa sunt genere, analogicè sunt eadem:ita ea,quæ diuersa sunt, quatenus singularia, vniuersali ratione eadem dicuntur. Animaduertendum tamen nos non posse dicere vniuersali ratione eadem esse; sed dici,& vniuersali ratione dicenda esse. Quæ enim vniuersalia dicuntur,non sunt. Quia definitio constat ex genere; & differentia,& vltimorum, quę sunt ipsa singularia,est ex vltima differentia,estq; vnius definiti vna definitio. Non enim sunt duo genus,& differentia nec in definitione,nec in definito; nec horum medię species, & differentiæ ge-

nerum ad definitionem sunt necessarię, vt in Septimi Libri Capite duodecimo, & Decimi Capite vndecimo traditur; ideò hoc loco ommittens specierum, & differentiarum differentias, considerat singula quatenus sunt diuersa vel genere, vel vltima specie: id est ipsa mea, & ipsa sua specie; materia mea, mouēte caussa mea, & tua. Ad quęstionem, in qua quærebatur vtrum eadem, an diuersa principia, & elementa sint substantiarum, ad aliquid, & qualitatum? ita respondet. Patet, quod cum multipliciter dicantur, similiter ac si diceret. Manifestum est ea, quę sunt, multis dici modis; & eadē esse, & non eadem, sed diuersa. Quę distinguit dicens. Si diuidantur; id est, si ratione distincta considerentur. Quare, subiungit. Vniuscuiusq; sunt: id est, Ideò vniuscuiusq; sunt ipsa principia multipliciter dicenda; id est, & eadem, & non eadem, sed diuersa. Alio verò modo considerationis, quo ea, quę sunt, si vt quoddam totum cōsiderentur, hoc modo & eorum caussę, & principia eadem sunt, analogicè tamen. Ideò ait. Nisi quod alio modo eadem: Analogicè nanq; eadem. Hęc verò principia, & caussæ, quæ cum alia, & alia; tum alia analogicè sunt: materia, species, priuatio, & mouēs sunt. Verùm quia peremptis substantijs, omnia perimuntur; ideò ait. Hoc modo considerantibus substantiarum caussæ, quasi omnium caussæ sunt. Postremò quoniam ea, quę in vniuerso sunt, ipsa sunt singularia, in quibus duplex actus perpenditur, primus, & secundus, qui actus inductione, & analogia cognoscitur, vt in Libri Noni Capite sexto huiusmodi exemplo explanat. Sicuti vigilans, inquit, ad dormientem, & sicut segregatū à materia ad materiā; id est sicut quod quid erat esse ad materiam. Ex quibus clarum fit quod ait. Præterea quod primum actu est; id est, Prętereà quę hactenus dicta sunt, caussę omnium illę sunt, quæ primum actu sunt; omnium;

nium; id est, omnium secundorum actuum. Ea, quæ primũ actu sunt, & id quod primum actu est, secundum substantiã idem sunt. Quia verò horum primorum omnia prima sicut materię, formæ, priuationes eodem modo sunt omnium caussę; ideò ait. Illo verò modo alia prima, quęcunq; contraria; id est, species, & priuatio. Horũ, quę sunt primũ actu illo modo: id est, & quatenus singularia, & quatenus prima omniũ, sunt caussæ. Quare, subiungit. Quę nec vt genera, neq; multipliciter dicũtur; id est: Nec vt genera, quę sũt rõnes vniuersales, Neq; multipliciter; quia singulorũ singulę, & primorum primę caussę sunt. Eodẽ sensu & de caussa, quę est materia ait. Itẽ & materię; id est, oĩum, quę sunt primũ actu, & materię primę sunt. Quę nec vt genera, nec multipliciter dicũtur; id est, materia singulorũ compositorũ in cõsideratione, qua primũ actu sunt. Ex hoc Capite colligitur in Aristotelico modo philosophãdi, esse quędã vniuersaliter dicere, quędã verò minimè, eaq; quę vniuersalia dicimus, nõ esse, sed esse ipsa singularia. At in philosophia Platonica, sicut legẽti planũest in Parmenide à quinto Capite ad finẽ libri, ipsa vniuersalia sũt primę substãtię, primę caussę, & prima oĩum principia. Ex quib. planè cõstat eorũ verũ quę vniuersali modo philosophari; & quę vniuersalia dicimus, alterũ eorũ negare esse, alterũ verò esse primas substãtias affirmare. Itẽ ĩ philosophia Aristotelis quęcũq; vniuersalia, & genera, & generũ differẽtię, & species, semper vnũquodq; eorũ de ipsis singularib. prędicãtur. genera nãq; & species sũt rõnes singulariũ. Nũquã verò genus prędicatur de suis differẽtijs, vel speciebus, nec differẽtię de specieb. quę nanq; vniuersaliter dicimus, nõ sunt. Hoc quidẽ dogma est propriũ philosophię Aristotelis, At in philosophia Platonis vniuersalia prędicãtur & de singularibus, & de vniuersalibus: vt genera de differẽtijs, & specieb. & differẽtiæ

generum

generum de speciebus, quibus refertũ est totum Porphyrij opusculum. Quod quidem opusculum, quia primum hanc in suo genere maximè ordinatã, & maximè proprijs terminis philosophiam traditam confudit, permiscuit, & perturbauit; meo iudicio, esset ab omnibus verè philosophantibus scholis eliminandum, explodendum, & exterminandum cum omni sua primum excogitata expositione. Ac ne multis rem non obscuram agam, ex vno tantum exemplo reliquos eius errores conijcere licebit. Vbi de definitione generis loquitur, ait, genus esse, quod prędicatur de pluribus differentibus specie. Probè profectò, si eodem sensu, quo ipsemet Aristoteles Aristotelis verba accepisset. Nam Aristoteles ijs verbis ait, genus prędicari de pluribus singularibus differentibus specie: non autem de pluribus speciebus, neq; de pluribus differentijs: vt in hoc Capite clarum est, & in Libri Quinti Capite duodecimo, & in primi Topicorum Capite tertio, & quarto. Contra Porphyrius, ait, prædicari genus & de speciebus, & de suis differentijs, vt exponunt omnes eius expositores. Hæc de prima controuersia inter Platonem, & Aristotelem de terminis vniuersalium annotasse sufficiat. Alia non minor controuersia est inter eosdem de vsu formarum, vt iã in fine tertij Capitis annotauimus. Atqui quemadmodum illa sic hæc dissensio fieri non potest, vt inter illos concilietur. Fieri enim non potest vt tam inuicem cõtradicentia principia sint vera. Ac per consequens fatendum est, fieri non posse ex ijs duabus quãdam tertia philosophiã confecta, & confusa, ne multa absurda, & inconuenientia contineat. Ex absurdis enim, & inconuenientibus principijs absurdæ etiam, & inconuenientes conclusiones sequantur necesse est. Quoniam igitur post Alexandrum, & Porphyrium quicunq; profitentur in schola Aristotelis

ſtotelis philoſophari, ex ijs duabus inuicem contradicentibus philoſophijs in quandam tertiam compoſitis, philoſophantur, & eorum vnuſquiſq; putat ſe de mente Ariſtotelis philoſophari; & (vt plurimum) alter ab altero differentem ſuam philoſophiam affert; ideò mea ſententia, tanta opinionum, & dogmatum diuerſitas, & tam peregrini philoſophantium termini emerſerunt, qui multò difficiliorem, & obſcuriorem philoſophiæ cognitionem efficiunt, quàm ipſa ſit in ſuo cãdore, methodo, & verbis Ariſtotelis edita. Dictæ verò philoſophiæ fieri non poſſe, vt componantur, pręter ea, quæ ſupra ad id comprobandum dicta ſunt, accedit locupletiſſimus teſtis, vir ſingularis ingenij Picus Mirandulanus, qui maximo ſtudio nunquam eas, licet toto pectore ad id incubuerit, & ſummoperè cupiuerit, nunquã tamen potuit conciliare, cum multa admirandi ingenij ſui reliquerit monumenta, de quibus nulla vnquam ætas conticeſcet. Immò verò dum eiuſmodi conciliationem moliretur, quot noua dogmata ſuo peracuto ingenio in philoſophia excogitarit, quanta aduerſum cõmunem in ſcholis philoſophãdi modum annotarit, teſtes ſunt de ſua mente eiuſdem concluſiones. Liceat mihi dictæ confuſionis, & perturbationis philoſophandi initium paulò altius repetere. Cum antiquiores philoſophi ipſa ſingularia ſubſtantias eſſe putarent, & cum formas accidentales in continuo fluxu more fluminum ad ſingulos tactus veſtigium non ſeruantium, vel ad minimum tempus, ſi daretur, contemplarentur, nonnulli illorum rerum naturalium ſcientiam eſſe negarunt. Hos alij conſecuti, poſtremus verò Socrates ſenior, & iunior, illam antiquiorum aſſertionem, cum rationes formarum ſubſtantialium à materia (ſuo more) ſeparatarum, & formas definitionum inquirerent, minimè veram eſſe iudicarunt. Tum vnitates

viuer-

vniuersales,omniaque esse vnum, vt liquet in Parmenide, statuerunt. Tum philosophiam multo magis rationi consonam,quam quæ rudioris sæculi erat,adinuenerunt. Tãtò magis acceptam mortalibus, quantò vniuersalium ratiocinationes sunt magis innatæ animo nostro ratione, quæ est immortalis. Quæ quidem philosophia ab ipsismet authoribus viua voce continuè in eorum scholis ita fuit tradita; vt illis temporibus multos habuerit auditores; nõ tamen Aristotelem, quem ipsi iuuenẽ appellabant. Deinde cum hęc philosophia diu viguisset, & auditorum mentes,& animos crebra disputatione in suis opinionibus ita confirmasset, vt ab eis deduci vix possent; successit Aristoteles. Qui ob multas caussas suas de philosophia sententias auditoribus haud potuit persuadere. Primum quia magis librorum scriptioni, quam prælectionibus animo intentus scholas non potuit frequentare. Deinde quibus opinionibus mens nostra prius est imbuta, eas facilius, & tenacius retinet,quam nouas addiscit. Tum quia erãt addicti iurare in verba prioris magistri. Tum quia omnis doctrina fit ex præexistẽti cognitione. Tum quia prima sunt caussæ cæterorum efficientes,& partiales. Postremò quia mortuo Aristotele eius scripta siue propter nimiam (vt putabant) obscuritatem, siue quia non magni nominis à philosophantibus illorum author habebatur, vsque ad Antonini tempora in tenebris ferè sepulta latitarunt. Tunc igitur primum è tenebris eruta in lucem prodierunt. Quæ licet Alexander magno studio exponere cœperit; quia tamen & ipse Platonicæ philosophię addictus, & quia dogmatum Aristotelis, pręsertim verò eorum, quę Libro Septimo,& hoc Duodecimo tradũtur, erat ignarus. Hoc in caussa fuit, opinor, ne cõtrouersias inter has philosophias animaduerteret. Nam cum Platonica cum nutricis penè dixerim,

xerim, lacte suxerit, ex altera parte verissima ea putabat, quibus assueuerat (quoniam ea, quibus assueuimus, & oportere dici censemus) ex altera verò parte cum admiraretur philosophiam Aristotelis in tot genera scientiarum suo ordine distinctam, cum eum in omnibus methodum, quo ferè, si loqui posset, ipsamet natura vsa esset, contemplaretur: fuit penè coactus præcognitam Platonis philosophiam cum Aristotelica nondum satis percepta confundere, & commiscere; & quodammodo, ex duabus, quę nullatenus fieri potest, vt concilientur tertiam quandam cōstituere eo modo, quo primus interpres eius scripta publicè cœpit explanare. His additur non postrema caussa, quia tum temporis communi magistrorum decreto sancitum fuit ne vllus scholas philosophiam Aristotelis auditurus ingrederetur, nisi prius Platonicis dogmatibus esset institutus eatenus, quatenus initio philosophiæ Aristotelis adiuncta fuerunt prædicta vniuersalia Porphyrii eo sensu, quo ab eorum authore conscripta fuerunt, & in scholis pro veris recepta. Post Alexandrum reliqui expositores alter alterum vsque ad nostra tempora secutus, vnusquisque eorum ex pręhabitis iam in schola principijs, necessariò tertium hunc philosophandi modū & sibi proprium, & ab alijs, vt plurimum, diuersum, ob dictas caussas, sequitur. At inquiet aliquis, quomodo ego tot sęculis tam densis tenebris obruta, & occulta solus eruerim, & viderim? fortasse. Quia cum nullus præceptor quæ prius ipse percepisset, ea viua voce mihi tradidisset, & cum nulli expositorum ita fuissem assensus, vt cogerer in eius expositione quicquam aliud quærere, præterquam veram intelligentiam verborum Aristotelis, & eius philosophiæ puritatem, candorem, & nitorem, præ cæteris omnibus expositoribus maximè omnium lumine Angelici doctoris præeunte, non

F est mi-

viva voce

est mirum si ex puro fonte hanc puram philosophandi rationem hauserim.

## CAPVT VI.

*CVm vero tres sint substantiæ, duæ quidem naturales, alia autem immobilis de hac est dicendũ, quod necesse est perpetuam aliquam, & immobilem substantiam esse. Etenim substantiæ primæ entium sunt: & si cuncta corruptibiles, omnia corruptibilia sunt. at impossibile est aut generari motum, aut corrumpi: nam semper erat. neque tempus, cum non sit possibile prius & posterius esse, tempore non existente: motus sane ita continuus est, sicut & tempus: aut enim idem, aut quædam ipsius motus passio est: motus vero non est continuus præter hunc, qui secundum locum, & hunc, qui circularis est. at vero si motiuum, aut effectiuum est, non autem operans aliquid, non est motus: possibile nanque est non operari, quod potentiam habeat: nulla igitur vtilitas erit, ne quidem si perpetuas substantias faciamus, quemadmodum qui faciunt species: nisi aliquod principium insit, quod mutare possit. Non igitur sufficit illa quidem nec alia substantia, præter species: nam si non operabitur, motus non erit: nec item si operabitur quidem. substantia vero eius potentia sit: non enim erit perpetuus motus. quod enim potentia est, contingit non esse. Oportet igitur esse tale principium, cuius substantia actus sit. Item has oportet esse substantias absque materia: sempiternas enim esse oportet, si aliquid quidem æternum est. actu igitur sunt: atqui dubium est. nam omne quidem agens posse quoq; videtur, potens vero non omne agere: quare potentia erit prior. Verum si hoc ita sit nihil entium erit: contingit enim posse quidem esse, nondum vero esse. at si vt Theologi, qui ex nocte cuncta generant: siue ut physici dicunt, omnes res simul erant, idem impossibile erit. quo nanq; modo mouebuntur, si nulla erit actu caussa? non enim ipsa materia*

seipsam

*seipsam mouebit, verum opifex virtus, neq; menstrua, neq; terra, verum semina, atq; humanum semen. Propter quod quidam faciunt semper actum, veluti Leucippus, & Plato, cum semper esse motum dicant: cur verò, vel quem, non aiunt: nec cur sic, nec caussam. nihil enim susq; deq; mouetur, sed oportet vt semper aliquid præexistat: sicuti nunc, natura quidem hoc modo: vi etiam aut ab intellectu, aut ab aliquo alio hoc modo: deinde quisnam primus sit, differt enim quam maximè. At neque Platoni possibile est dicere id, quod quandoq; putat principium esse, quod seipsum mouet: posterior enim pariter cœlo est anima, vt ait. Arbitrari itaque potentiam actu priorem, quodammodo benè est, quodammodo verò minimè: dictum autem est, quomodo. Quod autem actus sit prior Anaxagoras testatur: intellectus nanque actus est: & Empedocles amicitiam, & contentionem ponens, & qui semper esse motum aiunt, vt Leucippus. Quare non erat tempore infinito chaos, aut nox: verum semper eadem circuitione, aut aliter, si actus quidem prior potentia. Si verò semper idem circuitione, oportet vt aliquid semper similiter operando permaneat. Quod si futura est generatio & corruptio aliud operans aliter, & aliter esse oportet. Necesse igitur est hoc quidem modo, illud secundum se operari, hoc verò secundum aliud: aut igitur secundum diuersum, aut secundum primum: necesse autem est vt secundum hoc, hoc nanque rursus & sibi, & illi caussa est. Dignius ergo est, quod primum est: hoc nanque vt similiter se habeat caussa erat: vt verò aliter aliud: vt autem semper aliter ambo scilicet. Patet igitur, quod motus quoque ita se habent: cur igitur alia quærere principia?*

## EXPOSITIO.

Disputatione de substantia generabili, & corruptibili, deq; eius caussis suo ordine absoluta; conuersus ad cœlum, cotum omnium mouetem caus-

sam, excepta tamen caussa primæ originis, qui est Deus summus omnium sator, vt deinceps patebit, caussam, inquam, inuestigans, quę suo motu, & calore ab eius lumine, vt videtur, emanante, cum vnoquoque vnumquodque in omnibus corporeis producit, vt superius dixerat, ait. Cum tres sint substantiæ, quarum duæ naturales, quia cum motu sunt, altera cœlum, altera verò sublunaria; nō dixit tertia immobilis; sed alia immobilis, id est; ex tribus substantijs alia pars est immobilis. Hic verò intelligendū est substantias separatas, & cęlum, quatenus est ingenerabile, vtraq; esse immobilem substantiam. De hac ait dicendum necessario esse aliquam substantiam perpetuam, & immobilem. Id quod toto hoc capite vt probet nititur hoc exordio. Etenim, inquit, substantiæ primæ entium sunt, etsi cunctę corruptibiles, sequeretur omnia esse corruptibilia, at quia aliqua sunt, ait, incorruptibilia; id est, motus. Qui quia fieri non potest, vt generetur, aut corrumpatur; ideò ait. Quia semper erat. Item ait fieri non posse, vt tempus generetur, aut corrumpatur.. Quia fieri non potest, vt sit prius, aut posterius tempore non existente. Quod autem probatur ex motu, hoc idem probatur ex tempore, cum motus ita continuus sit, vt & tempus: & cum tempus aut idem sit quod motus, aut certè quędā passio ipsius motus. Quia igitur quędam sunt incorruptibilia; id est, motus, & tempus, ideò datur aliqua substantia perpetua, & immutabilis. Atq; vt hanc substantiam cognoscat primo quærit. Quis motus est, qui non generatur, neq; corrumpitur? & respondet. Nullus alius continuus est, nisi localis, & ex locali solus circularis; id est, cœli. Atq; ideò cęlū, & eius principia mouentia esse substantiam perpetuam, & immobilē. De motus, & temporis ęternitate sunt a verisimili potius suppositiones, quam ab aliqua efficaci ratione desumptæ

proba-

probationes,ideò sibi verisimiles visę; quia in nulla vel antiquissima historia, cuius quidem memoria extaret,vnquã legere poterat,vllam vnquam in substantia cœli mutationem fuisse animaduersam. Et quia dicendum est Diuinã bonitatem in omni creatura tantò magis vel minus elucere, quantò summo illi bono est magis vel minus propinquior est. Et quia cœlum omnium corporeum illi primo, & summo bono est maxime propinquum; ideò non est mirandum,nec à ratione alienum existimandum,si huic tã præclaro ingenio in puris naturalibus cœlum visum sit æternitate Diuinæ bonitatis irradiari. Licet omnia infra summum Deum fuerint creata. Cùm igitur statuerit necessariò esse aliquam substantiam æternam, & immobilem; deinde querit hæc substantia quomodo se habeat,dicens. Si in hac substantia esset motiuum,aut effectiuum,non tamen operans; id est,continuè non operans, sed potentia quod esset,sequeretur motum non esse.Quia quod potentiam habet, fieri potest,vt non operetur. Quare huiusmodi principium in tali substantia ponere nõ esset vtile.Nec etiam esset vtile,si quis in hac substantia perpetuũ principiũ poneret.Sicut aliqui,inquit;qui species faciunt; id est, idearum inuentores.Inter quas substantias,& corpora mota quia nulla est conuenientia agendi, & patiendi; ideò nulla eorũ potentia mouendi.Quare ait nec in hac idearum positione vllam esse vtilitatem. Iccircò necesse est in hac esse aliquod principium quod mutare possit ita,vt sit conuenientia inter motorem,& motum.Verùm quoniam (naturaliter loquendo)inter intellectum separatum,& inter corpus nulla est proportio ad motum, nisi medietur anima talis corporis, quæ & eius forma sit: ideò dixit, nec priorum modos positionum sufficere, nec Platonis, nisi ponantur species, quæ sunt mutuæ volitiones, & in-

tellectio-

tellectiones, quas oportet esse inter animam cœli, & substantiam separatam. Quæ quidem operatio nisi ponatur, in hac substantia motus non erit. Vt item sit hæc operatio, si substantia huius principij esset potentia, motus non esset perpetuus. Quia quod est potentia, contingit nõ esse. Quare, ait, oportere hoc principium huius substantiæ actu esse, & non potentia. Postremò, inquit, opus esse has substantias esse sine materia, ideò quia sunt ex necessitate æternæ. Si aliquid æternum est, quemadmodum motus, & tempus dictum est esse eterna; & ideò & actu esse. Item ait dubium esse, cum omne agens habeat potentiam vlterius agendi, & potens agere, cum non agat continuè, & quoniam potentia in vtroque est; id est, & in non agendo: Actus verò in altero tantum; id est, in agendo. Si hoc esset verum, sequeretur fore vt entia in nihilum redigerentur ideò, quia quod contingit esse, id contingit & nondum esse. Idem, inquit, impossibile sequeretur ex positionibus Theologorum dicentium ex priuatione omnia generari; & eorum physicorum, qui ex mixtura omnium rerum, quã chaos appellarunt, vtrique nanque potentiam priorem faciunt. Quos interrogat quo authore mouebantur si nulla caussa erit actu? Materia, respondet, seipsam non mouebit, cuius potentia est moueri; sed opifex virtus; id est, mouens caussa. Neque menstrua, neque terra seipsa mouebunt; verum semina mouebunt terram, & humanum semen mouebit menstrua. Quibus rationibus adductis ait. Quidam semper actum faciunt; sicut Leucippus, & Plato, qui & motum semper esse dicunt. Cur; id est, Propter quid motum semper faciant, non dicunt: vel quem motum primum faciant, nec cur sit caussam dant. Tandem ait, nihil susq; deq; mouetur; hoc est, casu sine motore; sed necesse est, vt semper aliquid præexistat. Sicut nunc, inquit, id est,

nostris

nostris temporibus cernitur; quicquid mouetur ab aliquo moueri; vel à natura, vel vi ab aliquo, vel ab intellectu, vel aliquo alio, hoc modo, quo nos in præsentia sensu percipimus. Mox ait, quisnam sit primus motor non dicunt, quę sanè singula certum est quam maximè differre in proposita quæstione. At neque, ait, fieri potest, vt Plato dicat quisnam sit primus motor, quem quandoque putat esse principiū, quod seipsum mouet; id est, animam. Sed quia, ait, animam esse simul cum cœlo, & ab ipsa emanasse motum; & idem quia alibi ait, motum inordinatum fuisse priorem quam animam. Quia itaque animam & cum cœlo, & ante cœlū facit; ideò dixit Aristoteles fieri non posse, vt Plato dicat quisnam sit primus motor. Itaque ait, se arbitrari potentiam actu priorem esse quodammodo posse, quodāmodo verò non posse ex ijs quæ dicta sunt. Actū esse priorem testem adhibet Anaxagoram intellectum principium ponentem, intellectus quidem est actus; & Empedoclem, & Leucippum, & alios, qui semper motum fuisse arbitrabantur. Ex quibus infert tempore infinito non fuisse chaos, neque noctem; id est, potentiam, vel priuationem sicut ipsi existimarunt. Sed semper eadem circuitione, aut aliter; id est, eosdem effectus prorsus circuitione reuerti; vel aliter: id est, vel aliquo alio modo, si actus est prior potentia. Si verò, ait, semper idem circuitione; id est, si idem effectus reuersione, qui est orbium periodici motus, & horum sensibilium singulorum generatio, & corruptio, oportet vt aliquid semper similiter operando permaneat: hoc autem est substantia separata, quæ ijsdem periodis semper mouet. Item si futura, inquit, est generatio, & corruptio, oportet, vt & aliud sit, quod aliter, & aliter operetur: hoc quidem est cœlum, quod diuersis motibus, diuerso situ, maiore, & minore calore ex suo lumine,

in hęc inferiora emanāte aliter,& aliter operatur. Verùm quoniam in ordine naturæ prior eſt ęqualis, quam inęqualis operatio: ideò ait, neceſſe eſt, vt quod ſemper ſimiliter operando permanet vtraque operetur; id eſt, & quod eſt ſemper idem, ſecundum ſe: & hoc, quod eſt aliter, & aliter per aliud: id eſt, per cęlum. Deinde quęrit, id per quod operatur, eſtne ſemper idem, an per aliud, & aliud operatur? & reſpondet. Neceſſe eſt ſecundum hoc; id eſt, ſecundum eundem cœlum operari. Poſtremò exquirit quid ſit in hoc principio dignius. Quia verò diuerſa ſunt, ex quibus hoc principium conſtat, ideò diuerſa de eius dignitate decernit. Quod igitur in hoc principio eſt primum, hoc quia & ſibi, & illi alij, id eſt cœlo, eſt cauſſa; ideò maximè dignum eſt, quod primum eſt, quia etiam eſt cauſſa, vt ſemper ſimiliter ſe habeat effectus. Vt verò effectus aliter, & aliter ſe habeat, aliud illud eſt dignius; hoc eſt cœlum. Vt autem ſemper aliter effectus ſe habeat, ambo ſimul ſunt dignius; hoc eſt & ſubſtantiæ ſeparatæ, & cęlum. Quia verò hęc, quæ ratione vniuerſali ſunt probata; etiam reipſa in motibus patent; ideò ait: Cur alia principia quærere oporteat?

## CAPVT VII.

*CVm verò & ita contingat, & ſi non ſic, ex nocte & ſimul omnibus, & ex non ente erunt, hæc profectò ſoluentur: eſtque aliquid, quod ſemper inceſſabili motu mouetur. hic uerò circularis eſt: & hoc non ſolum ratione, uerum etiam opere patet. Quare æternum eſt profectò primum cœlum: eſtque aliquid, quod mouet. Cum verò id quod mouetur, & mouet medium ſit, eſt etiam aliquid, quod non motum mouet, quod æternum, ſubſtantia, & actus eſt. Hoc autem modo concupiſcibile, & intelligibile mouet, non motum. horum au-*

*tem prima eadem ſunt. deſiderabile nanque quod apparet bonum: primum uerò uoluntate affectabile, quod eſt bonum. magis verò appetimus, quia videtur magis quã videatur, quia appetimus; principium verò intellectio, ac intellectus ab intelligibili mouetur. Intelligibile verò alter ordo eſt, qui per ſeipſum eſt: & huius ſubſtantia prima, atque huiuſce, quæ ſimplex, & ſecundum actum eſt. Eſt autem vnum, & ſimplex, non idem, ſi quidem vnum ſignificat menſuram: ſimplex verò quomodo ſe habeat ipſum. At verò bonum, quoque, & quod per ſe eligibile eſt, in eodem ordine ſunt: & ſemper primum eſt optimum, aut analogum. Quod vero cuius gratia in immobilibus ſit, ipſa diuiſio manifeſtat: eſt enim id, cuius gratia alicui eorum, quorum hoc quidem eſt, hoc vero non eſt: mouet itaque vt quod amatur: quod mouetur autem cætera mouet. At ſi quid mouetur, contingit etiam aliter ſe habere. Quare ſi latio prima etiam actus eſt, quo mouetur, hoc modo ſanè contingit aliter ſe habere ſecundum locum, quamuis non ſecundum ſubſtantiã. Cum autem aliquid ſit mouens, ipſum immobile exiſtens, actu ens. hoc nullo modo contingit aliter ſe habere: latio nanque prima mutationum èſt: huius autem quæ circularis eſt, hanc autem illud mouet. Ex neceſſitate itaque eſt ens: & prout neceſſitas bene eſt. & ſic principium, neceſſarium nanq; toties dicitur, quoddam vi, quia præter inclinationẽ: quoddam, ſine quo non benè eſſet: quoddam, quod non contingit aliter ſe habere, ſed ſimpliciter eſt: à tali ergo principio, tum cœlum, tum natura dependet. Degentia vero qualis nobis pauco tempore, optima illi eſt, ſiquidem ita ſemper illud eſt nobis autem profectò id impoſſibile eſt. Quoniam & delectatio actus huius eſt. Et ob hoc vigilatio, ſenſus, intellectio maximè delectabile eſt: ſpes autem, ac memoria propter hæc. Ipſa vero intellectio ſecundum ſe eius eſt, quod ſecundum ſe optimum eſt: & quæ maximè eſt eius, quod maximè eſt. ſeipſum vero intellectus intelligit aſſumptione intelligibilis: intelligibilis nanque fit attingens, & & intelligens, ita vt idem intellectus, & intelligibile ſit. ſuſcepti-*

*unum enim intelligibilis & substantiæ intellectus est: operatur autem habens. Quare istud magis quam illud, est id diuinum, quod intellectus videtur habere, & speculatio optimum & maximè delectabile est. Si igitur ita bene se habet Deus semper, vt nos aliquando, admirabile est: quod si magis, adhuc admirabilius est, at ita se habet. Cæterum vita quoque profectò inexistit: siquidem intellectus operatio vita est, ille verò est actus: actus verò per se illius vita optima, & perpetua est. Dicimus itaque Deum sempiternum optimum viuens esse. Quare vita & æuum continuum, & æternum Deo inest: hoc enim est Deus. Quicunque verò, vt Pythagorici, & Pseusippus putant, optimum, & pulcherrimum non esse in principio, eo quod plantarum quoq; ac animalium principia caussæ quidem sunt: bonum verò & perfectum in ijs esse, quæ ex ijs sunt non rectè putant. sperma nanque ex alijs prioribus perfectis est: neque sperma primum est, sed quod perfectum est: veluti hominem dicere quispiam possit spermate priorem esse, non illum, qui eo generatur, sed alium, ex quo ipsum sperma est.*

## EXPOSITIO.

IN fine præcedentis Capitis dixit. Cur igitur alia principia quęrere oporteat, cum & rationi, & rei consentanea sint posita: initio huius ait. Cum verò ita contingat; id est, cum sic probabile sit, vt nos de hoc principio statuimus; & cum non sint ita probabiles eorum de principijs rationes, qui ex nocte, & mistura, & ex non ente principia fingunt, quorum rationes nostris soluuntur, dicendum est esse aliquid, quod semper incessabili motu moueatur, & hoc esse corpus circulare, & re, & ratione patet. Quoniam igitur rationibus in pręcedenti Capite adductis hoc principium est æternum: ideò infert. Primum cœlum esse æternum. Primum dicit, propter plures pręstantias; quibus reliquis corporeis antecellit. Verùm

quoniam

quoniam cœlum continuè mouetur; esse aliquid, quo continuè moueatur, necesse est. Quia verò cœlum mouet hęc inferiora corporea; ideò cœlũ est medium; id est, & quod mouetur, & quod moueat. Quę cum ita sint vniuersali ratione oportet, vt detur aliquod, quod nõ motum moueat: vel certè vt abeatur in infinitum in motis, & mouentibus. Atqui hoc, quod non motum moueat ęternum sit necesse est, substantia, & actus. Item opus est, vt moueat, sicut in motibus animalium fieri videmus. Nam mouent ea, quæ sunt intelligibilia, & concupiscibilia, intelligentem, & volentem, ipsis intellectis, & volitis immotis existentibus. Quemadmodum nos ex hac ciuitate in aliam aliquod vtile, pulchrum, & honestum immotum existens moueret. Ex quibus clarum est cœlum intelligere, & velle, quę sunt animæ operationes nobilissimę. Quare ex mente Aristotelis, cœlum est animatum anima, quæ est substantia, & forma orbis: alioqui cœlum nec intelligeret, nec vellet, nec à substantia separata moueretur. Qui verò ex mente Aristotelis negant cœlum esse animatum, ita, vt anima non sit eius forma; ij proculdubio eius totius philosophię fundamentum euertunt, & ex tam nobili philosophia impiam ferè efficiunt, id medium auferentes, per quod necessitate ordinis natura ad substantias separatas peruenitur. Postquam dixit hoc principium, quod cœlum mouet, mouere sicut concupiscibile, & intelligibile; subiungit, horum prima eadem esse; id est, concupiscibile, & intelligibile idẽ subiecto esse. & Horum; id est, quę sunt obiectum intellectus, & voluntatis primi supposita eadem esse. Quod idem est, ac si diceret. Intellectum, ac volitum idem est subiecto, quamuis sint diuersa obiecta ratione diuersarum animę potentiarum alia ratione cognoscentis, & alia volentis. Deinde explicat quid sit desiderabile, quidve primum;

amabile, dicens. Desiderabile est id, quod apparet bonũ; id est. Quicquid apparet bonum est desiderabile. Atqui ideò primum, quod est bonum; id est primum bonum esse voluntate affectabile; id est, summè amabile. Quia verò horum duorum actuum, quæ sunt intellectio, & volitio, intellectio est principium; ideò primum agit de intellectione, deinde verò de volitione. Intellectionem esse priorem sic probat. Magis ideò, inquit, quia videmus, appetimus; quam contra, quia appetimus ideò videmus. Ex quibus sequitur intellectionem esse principium. Quia verò cœli actio est intellectio; ergo cœli intellectus ab intelligibili mouetur. Deinde de hoc intelligibili ait. Intelligibile verò; id est, hoc intelligibile, quod cœlum intelligit, alter ordo, inquit, est; hoc est, alter ordo intellectorum. Nam primus ordo quoad nos, intellectorum, sunt animæ orbium; secundus verò est, qui ab illo primo quoad nos, ordine intelligitur. Dicit itaque secundum hunc ordinem intellectorum per seipsum esse; id est, ordinem substantiarum à corpore separatarum, & huius ordinis substantiam esse primam substantiam, & huius ordinis esse substantiam, quæ simplex, & secundum actum est. Quod autem sigillatim de hac substantia dictum est, de qualibet huius ordinis substantia intelligendum est, quem secundum ordinem intellectorum appellauit. Verùm quoniam hęc vox, simplex, & mensuram, & perfectionem significat; ideò ad huius principij perfectionem referendam esse docet. Hactenus de intellectione, sequitur de volitione. Bonum, inquit, & quod per se eligibile est in eodem ordine sunt; id est, Omne bonum per se eligibile est, & omne per se eligibile est bonum. In ordine verò bonorum quod est primum est semper optimum, aut analogon; id est, aut proportionale; id est, quo primo propinquius, eò melius.

Hic

Hic non agit de summo bono, quod in decimo Capite appellat vniuersi ipsum bonum, & ipsum optimum: sed de bono, quod est & in substantia generabili, & corruptibili, & in cęlo, & in substantijs separatis. Quorum quidem bonitatum est quædam inuicem proportio vnius ad aliam & ad alias; & aliarum ad alias. In substantia generabili, & corruptibili bonitates, quas oculis percipimus pulchritudines appellamus, quas auditu concentus, & consonātias; quas olfactu odores; quas gustu sapores; quas tactu sunt quam plurimæ in sua temperie, sicut & in alijs sensationibus propriæ in vnaquaque. Quoniam verò hæc omnia corporea dependent à cęlo non ratione caussæ primæ originis; quæ est sapientissimus rerum omnium architectus Deus, à quo ita dependent; sed ratione caussæ mouentis, & finalis, quatenus motu, luce, & calore in omnibus corporeis vnoquoque vnumquodq; producit. Quamobrem omnes hæ bonitates, quæ in ijs corporeis sparsim reperiuntur, in toto cęlo, & in qualibet eius parte vnitiuè continentur. Quas quidem bonitates hæc inferiora corporea motu, lumine, & calore ab ipso cœlo recipiunt; & omnia ipsum cœlum tanquam suum bonum appetunt. Ac quemadmodum hæc substantia ratione boni & mouentis à cœlo dependet; ita cęlum ratione caussæ mouentis, & boni dependet à substantijs separatis. Bono ita definito, primum bonum dixit esse optimū, aut analogon; id est, primum bonum esse optimū, cætera verò bona quo primo propinquiora, eo meliora. Mox docet bonum, cuius gratia mouetur esse in immobilibus, hocq; diuisione boni fieri manifestum. Diuiditur enim bonum & in bonū, quod est in re, & in bonū, quod est in anima cognoscente bonū, quod est in re. Quamuis verò vtrunq; horū bonorū moueat, & sit caussa mouens: illud tamē quod extra mētē,

id est in re est, est; illud verò, quod dicitur esse in anima nô est. Illud quatenus amatur, mouet, & non mouetur; hoc verò, quod est in anima, & mouetur, & mouet quatenus illud amat. Hoc verò quod mouetur cætera, inquit, mouet; id est, mouet primò orbem, per orbem verò cætera inferiora corporea. Anima orbis concipiens in se bonitates substantiæ separatæ seipsam intelligit; & se intelligendo quendam efficit circulum. Quia verò hęc anima est forma corporis perfectè sphærici neque grauis, neq; leuis; ideò sicut anima suum efficit circulum; ita & corpus ipsius animæ cum sit circulare, & aptum circulo moueri, circulum faciat necesse est. Ad hæc, quicquid mouetur, inquit, contingit ei, vt etiam aliter se habeat; & ideò latio prima: sic cœlum vocat, quod tametsi actus est, sicut in præcedenti Capite patuit, tamen quatenus mouetur, contingit ei aliter se habere; hoc est, secundum locum, non secundum substantiam. Iam verò de substātia separata. Cum autem, inquit, aliquid sit mouens, ipsum immobile existens, actu ens, huic nullo modo contingit aliter se habere. Hoc autem mouens esse, quod cœlum moueat, sic probat. Latio nanque, inquit, omnium mutationum prima est, circularis verò latio est prima omnium lationum. Quia igitur primo motui primus motor assistit; ideò cœlum necessariò ab hoc motore mouetur. Præter alias perfectiones huic motori verissimè maxima ratione attributas, est, inquit, ens ex necessitate, & prout necessitas, bene est: principium ita necessarium, vt aliter illi non cōtingat vt possit esse in suo modo philosophandi. Quia verò quoddam necessarium imperfectionē significat, ideò vt hoc exciperet, ait, Quoddam necessarium vi; id est contra voluntatem necessitatem patienti afferens. Quoddam necessarium sine quo non bene esset: sicuti viatori sine equo aliquod longum

iter

iter conficere, quod & pedes posset, sed non equè benè. Quoddam necessarium est, quod non contingit, vt aliter se habeat, sed simpliciter est. Ab huiusmodi igitur principio concludit & cœlum & naturam; id est, ordinem rerum dependere. Partibus huius principij, nonnunquam separatim sumptis, nonnunquam verò omnibus simul sic explicatis; deinceps de operationibus animę cœli sub specie totius principij aggreditur explicare. Quibus quidẽ operationibus ostendit hoc principiũ maxime delectabilem, & maximè iucũdam vitam omni æuo degere, dicens. Degentia verò, qualis nobis pauco tempore, optima illi est; id est, maximè delectabilis dispositio, qualis nobis pauco tempore, pro imbecillitate nostræ naturæ tantæ vicissitudini rerum expositę tum contingit; cum aliquo iucundissimo, & nobilissimo animi nostri desiderio bonitates, pulchritudines, & præstantias mutuo flagrantibus oculis magna lætitia intuentes, & amantes fruimur; vt cum milites, & eorum præfecti Imperatorium ardorem oculorum prçliando conspiciunt; vt cum parentes charissimis sibi filijs diu desideratis occurrunt; vt tandem cum sponsus & sponsa perblando, & suauissimo reciproco conspectu oblectatur. In hoc verò principio optima est, inquit, siquidem illud semper ita est. In ipso enim insunt rationes omnium bonorum, & perfectionum vniuersi. In ipso inest intelligens, & volens, intellectum, & volitum actu existentia. Nobis verò vt id contingat fieri non potest cũ quia non omnia bona omnium simul collecta singulis, sed diuisa, & dispertita omnibus benignissimus parens Deus largitur; tũ quia cum labore omnis nostra actio sexcentis ægritudinibus, doloribus, ærumnis, infortunijs, morti deniq; semper vita nostra obnoxia. Quia verò hoc principium actus est: ideo & eius vigilatio, & sensus, & intellectio maximè delectabilia,

ctabilia,& iucunda sunt. Quia verò hæc delectabilia sunt; ideò & memoria præteritorum, & spes futurorum in ipso delectabilis est. In ipso vigilia, sensus, memoria; spes non eo modo, quo sunt propria naturæ rationali, sed quo sunt peculiaria huius principij naturæ intellectiuæ. Cui hæc omnia longe perfectiore ratione sine vlla comparatione, quæ humano intellectu nequit cogitari, nedum verbis explicari, insunt; quam naturæ ratione præditæ. Quę quidem natura intellectiua & præsentia tangit certitudine sensus, & futura cernit perspicacia rationis, quamuis non sit ipsa rationalis, sed proprietate naturæ intellectiuæ. Deinde affert rationem, cur optima degentia huic principio insit, dicens. Ipsius intellectionem per se esse illius, quod per se in vniuerso optimum est. Item quæ, inquit, maximè est intellectio; id est, animę cęli, eius est, quod maximè est, substantię separatæ, quæ est quid maximè in vniuerso. Tum verò quomodo hæc intellectio fiat tradit, Intellectum assumptione intelligibilis seipsum intelligere: ipsumq́; intellectum fieri intelligibilem attingentem intelligibile, & vt intelligens, ita vt idem intellectus & intelligibile sit. Quoniam verò omnis intellectus est quid susceptiuum & intelligibilis, & substantiæ; noster etiam est susceptiuus omnium specierum, & accidentium, & substantiarum. Quoniam verò omnis intellectus operatur habens in se speciem intelligibilem; ideò, istud, id est huius principij intellectus; est magis quam illud; id est, noster. quid Diuinum: quia & in se primam substantiam, quæ in ordine naturę est quid optimum habet assumptione, & operatur in se habens quid optimum. Huius igitur principij speculatio quid optimum, & maximè delectabile est. Tum huius principij bonitatem admiratur, quod more vulgi illius temporis Deum appellat, inquiens. Si igitur ita benè se

Deus

Deus habet semper, vt nos aliquando, licet paruo tempore, admirabile est. Quod si magis, inquit, bene se habeat, admirabilius. At ita se habet, concludit; & semper, & magis. Tum, cæterum, inquit, vita quoque profectò inexistit: iuxta ac si diceret. Vita viuit. Quod ideò est dicendum, quia operatio intellectus nobilissima vita est. Quia verò hoc principium est per se actus; ideò actus est per se optima, & perpetua illius vita. Dicimus itaque, concludit, Deum esse viuens optimum, atque sempiternum. Atque ideò Deo inest vita, & æuum felicissimum, continuum, & sempiternum. Concludit igitur hoc esse Deum ex vsu vulgi illius temporis loquendo. Cœlum enim, & cœlos communiter Deos appellabant, vt Saturnum, Iouem, Martem, Venerem, quorum nomina à nostro etiam vsu non respuuntur, quæ profectò & ratione veræ Religionis, & ratione excellentiæ illius cœlestis naturæ ex omni memoria essent mea sententia, abolenda. At quia ratio philosophandi Pythagoricorum, & Pseusippi obijcit aliquid principiorum perfectionibus, & ipsi primo; horũ, & aliorum, qui sunt in eadem hæresi vt rationes refellat, ideò ait. Quicunque vt Pythagorici, & Pseusippus putant, ipsi non inesse principio optimum, & pulcherrimum: id est. Quicunque putant principium ad ea relatum, quorum est principium non esse optimum, & pulcherrimum, non rectè putant. Quia quædam principia perfectorum imperfecta esse videntur; vt plantarum, & animalium; id est semina, quæ sunt quid imperfectum; plantæ verò & animalia ex ijs seminibus orta & perfecta esse, & bonum in eis; ideò existimant non inesse in caussis bonum, & perfectum, quod ait eos rectè non putare. Sperma enim ex alijs caussis perfectis prioribus est. Sperma item non est primum in natura; sed quod perfectum est, id primũ est in ordine naturæ.

Quemadmodum, inquit, aliquis posset dicere hominem priorem esse spermate, non quidem illum, qui tanquam ex spermate ortus consideratur; sed eum, qui tanquam ex eo, ex quo sperma est cogitatur.

## CAPVT VIII.

*QVod itaque est quædam æterna immobilisque substantia, & à sensibilibus separata, constat ex dictis. Ostensum autem est, quod nec vllam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verum impartibilis, indiuisibilisque est. nam infinito tempore mouet, nihil verò finitum infinitam potentiam habet. Cum verò omnis magnitudo aut infinita, aut finita sit, finitam quidem propter hoc non haberet magnitudinem: infinitam verò, quoniam omnino nulla est infinita magnitudo. At verò quoniam quid impassibile, & immutabile est: omnes nanq; reliqui motus posteriores eo sunt, qui secundum locum est. Et quidem hæc propter quid hoc se habeant modo dilucida sunt. Vtrum autem vna sit ponenda talis substantia, an plures, & quod non oportet nos latere, sed meminisse quoque aliorum sententias, quod de pluralitate nihil, quod dictu egregium sit, dixerunt. De ideis nanque opinio nullam accommodatam considerationem habet: numeros nanq; dicunt ideas: de numeris verò quandoque vt de infinitis aiunt, quandoque tanquam vsque ad denarium determinatis: qua verò de caussa tanta numerorum pluralitas sit, nihil cum diligentia demonstratiua dicitur. Nobis verò ex præsuppositis, atq; determinatis dicendum est. Principium enim ac primum entium, tum per se, tum per accidens, immobile est: mouens autem primo, sempiterno & vno motu. Cum verò quod mouetur, necesse sit ab aliquo moueri, (primumque mouens immobile per se esse) ac motu æterno ab æterno moueri, & vno ab vno, uidemusque præter simplicem lationem totius quam dicimus primam substantiam, & immobilem mouere,*

*& cæteras etiã lationes, quæ errantium sunt sempiternas esse (sempiternum nanque, & irrequiescibile circulare corpus est: monstratum autem est de ijs in physicis) necesse est harum quoque lationum vnamquamque à per se immobili, & æterna substantia moueri. nam & stellarum natura perpetua substãtia quædam existens: & quod mouet perpetuum, & prius est moto: & quod prius substãtia est, substantia sit necesse est. Constat itaque necesse esse tot substantias esse natura perpetuas, & per se immobiles, ac absque magnitudine ob caussam prius dictam. Quod igitur substantiæ sunt, & harum quænam prima, quæve secunda, secundum eum ordinem, quem & lationes siderum habent, patet. Pluralitatem verò lationum ex peculiarissima philosophia mathematicarum scientiarum, videlicet ex astrologia, considerandum est: hæc enim de substantia sensibili quidem, ac sempiterna speculatur: cæteræ verò de nulla quidem substantia, veluti quæ circa numeros, atque quæ circa geometriam. Et quidem quod plures sint eorum, quæ feruntur lationes manifestum etiam est ijs, qui parum attigerunt: pluribus enim quam vna errantium astrorum vnumquodque fertur. Quot verò hæ sint, nunc quidem nos ea, quæ quidam mathematicorum aiunt, intelligendi gratia dicimus, & vt aliquam determinatam mente pluralitatem percipiamus. Deinceps quædam quidem nos ipsos quærere decet, quædam verò à quærentibus sciscitari, si quid præter ea, quæ nunc dicta sunt, ijs videatur, qui circa hæc versantur, diligere quidem vtrosque, adhærere verò certioribus. Eudoxus igitur Solis, & Lunæ vtriusque lationem in tribus posuit sphæris esse: quarum primam quidem eam esse, quæ non errantium stellarum. Secundam verò, secundum id, quod per medium zodiacum. Tertiam porrò, secundum eum, qui in latitudine zodiaci obliquatur: in maiori autem latitudine obliquari eum, secundum quem Luna fertur, quam secundum quem Sol. Errantium verò stellarum vniuscuiusque in quatuor sphæris: quarum primam quidem, & secundam, eandem illis esse. Etenim quæ non*

*errantium est, eam illam esse, quæ omnes fert: at eam, quæ sub ipsa ordinata est, ac quæ secundum zodiacum lationem habet, communem omnibus esse. tertia verò, omnium polos in eo, quot per medium zodiacum esse. quartæ autem lationem, secundum eum, qui obliquatus ad medium eius est: esse vero tertiæ sphæræ polos aliarum quidem proprios. Veneris quidem, & Mercurij eosdem. At Calippus situm quidem sphærarum eundem Eudoxo ponebat, hoc est distantiarum ordinem: pluralitatem etiam stellæ quidem Iouis, ac Saturni eandem illi attribuebat. Soli verò, & Lunæ duas adhuc putabat sphæras addendas esse, si quis eorum, quæ sensibiliter apparent caussas assignare debeat. Cæteris vero errantium vnicuique vnam: necesse verò esse si debent omnes simul positæ, quæ apparent, reddere secundum vnamquamque errantium alteras sphæras, vna pauciores esse, quæ reuoluant, & ad idem positione, semper primam eius astri sphæram, quod inferius ordinatum est, constituant: hoc enim modo solum contingit errantium lationem omnia facere. Cum igitur in quibus ipsa quidem feruntur sphæris, hæ quidem octo, hæ verò viginti quinque sint, harum sanè illas solas non oportet resolui, in quibus fertur, quod infimè ordinatum est: quæ quidem duarum primarum sphæras resoluunt, sex erunt: quæ verò posteriorum quatuor, sexdecim: cunctarum vero numerus, tum earum, quæ ferunt, tum quæ reuoluunt eas, quinquaginta quinque. Quod si Lunæ, & Soli non addat aliquis, quos diximus, motus omnes sphæræ, erunt septem & quadraginta. Pluralitas itaque sphærarum tanta sit. Quare substantias quoque, & principia, tum immobilia, tum sensibilia tot rationabiliter arbitrandum est esse: quod enim necessarium est relinquatur potentioribus dicendum. Quod si nullam lationem possibile est esse, quæ non ordinetur ad lationem stellæ, omnem item naturam, omnemque substantiam impassibilem & per se, arbitrari oportet optimum sortitam finem esse, nulla profectò præter has alia natura erit, sed hunc necesse est numerum substantiarum esse. si etenim aliæ sunt, vtique*

que

*que mouebunt, cum lationis finis sint. Sed esse alias lationes præter dictas impossibile est: hoc autem ex ijs, quæ feruntur, rationabile est excipere: si enim omne, quod fert, eius gratia quod fertur, suapte natura est, omnisque latio alicuius, quod fertur, est, nulla latio sui gratia erit profectò, nec alterius lationis, verum Stellarum caussa. Si nanque latio lationis caussa erit, illam quoque oportebit alia gratia esse. Quare cum non sit processus in infinitum, finis omnis lationis erit diuinorum corporum aliquod, quæ in cælo feruntur. Quod autem cælum sit vnum manifestum est: si enim plures essent cæli, vt homines, principium vniuscuiusque erit specie vnum, numero multa: at quæcunque multa numero, materiam habent: vna etenim & eadem multorum ratio est, veluti hominis: Socrates verò vnus: Ipsum verò quid erat esse primum, non habet materiam, cum actus sit: vnum ergo tum ratione, tum numero, primum mouens immobile ens est: id etiam igitur, quod semper, continuoque mouetur: vnum ergo tantum cælum est. Tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quod ij Dij sint, vniuersamque naturam Diuinum contineat. Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius quod conferat opportunitatem, iam allata sunt. hominiformes nanque ac aliorum animalium nonnullis similes eos dicunt, ac alia consequentia, & similia ijs, quæ dicta sunt: quorum si quis ipsum solum primum separando accipiat, quod Deos arbitrabantur primas substantias esse, Diuinè profectò dictum putabit, & (vt verisimile est) sæpius quaque arte, & philosophia, quod possibile fuit inuenta corruptaque rursus has illorum opiniones quasi quasdam reliquias, nunc vsque saluatas esse. Paterna itaque, ac priorum opinio in tantum nobis manifesta sit.*

EXPO-

## EXPOSITIO.

IN proximo superiore Capite egit de cœlo, de eius animæ intellectione, & volitione de substātia separata, de horum vnoquoque modo sigillatim, modo verò de toto principio simul sumpto: in hoc verò Capite de huius principij elementis est acturus: idest Quot sint orbes, quotve substantię separatę. De quarum quidem substantiarum separatarum specie in vniuersum, dicit. Quod itaq; est quędam ęterna, immobilisq́; substantia, & à sensibilibus separata, constat ex dictis: id est, in superioribus, & in octauo Physicorum: quibus ostensum est, hanc substantiam nullam habere magnitudinem. Atque ideò non posse partiri, nec diuidi; quia infinito tempore mouet: nihil enim finitum infinitam potentiam habet. Quia verò omnis magnitudo aut finita, aut infinita est; infinita magnitudo quia nulla est: finita verò vt habeat vires infinitas fieri non potest. Ergo neque finitam, neque infinitam magnitudinem habet. Deinde probat fieri non posse, vt patiatur, aut commutetur. Omnes enim cęteri motus in ordine motorum, & mouentium locali motu sunt posteriores, quia localis est caussa aliorum motuum; ideò dicendum est, alios motus non agere in localem. Itē quia fieri non potest, vt, motum; id ęst, res mota in suum agat motorem; ideò localis in suum non agit motorem; primus igitur motor fieri non potest, vt patiatur, aut commutetur. Quæ omnia propter quid, ait; id est, propter suas caussas sunt hoc modo dilucida. Sed nondum patet, & nō debet nos latere, inquit, vna, an plures, & si plures, quot huiusmodi substantiæ ponendę sint. Qua de re nihil se, ait, ex aliorum philosophorum sententijs comperisse egregium, quod referre posset. De ideis Platonicę philosophiæ, nul-

lam,

lam,inquit,rationi accommodatam cõsiderationem eius opinio habet; quia numeros ens esse dicunt: & de numeris quandoq; vt de infinitis tractant quandoque tanquam vsque ad denarium determinatis: qua verò de caussa tanta sit pluralitas numerorum,nihil ab eis dicitur, inquit, cũ diligẽtia demonstratiua. Quoniam(vt plurimum)non suis terminis, sed metaphorice non solum Platonis, sed etiam omnium vsque ad Aristotelem, philosophorum philosophia tractari videtur. Ipse verò, qui elaborat, vt proprijs terminis hanc philosophiam instituat, de se verba faciens ait. Nobis verò ex presuppositis, & determinatis dicẽdum est,principium,& primum entium tum per se,tum per accidẽs immobile esse,& mouere primo,sempiterno, & vno motu: Vno; id est,circulari, vniformi, & in se ęquali: Et primum mouens esse per se immobile,& æternum motum ab ęterno motore moueri, & prouenire; & vnum motum ab vno motore.Vnum motum; id est, quemlibet simplicem motum; quia errantium stellarum apparentes motus non sunt simplices,sed ex diuersis simplicibus compositi. Deinde videmus, inquit, pręter lationem primi mobilis; id est,primi orbis,etiam lationes errantium stellarum sempiternas esse,ideò,quia circulare corpus; id est,cœlũ, sempiternum,& irrequiescibile est.Quoniam verò hęc ita sese habere demonstratum est in physicis, ideò infert,necesse esse,vt harum lationum vnaquæque à per se immobili, & ęterna substantia moueatur.Lationum; id est,simplicium, & æqualium lationum.Has verò substantias,quę orbes mouent,esse substantias ita probat. Quoniam, ait, & stellarũ natura est quædam perpetua substantia: & id quod mouet est perpetuũ: & in ordine naturæ motor est prius eo, quod moueatur; id est,moto; quod verò prius est substãtia,ipsum etiam substantia sit necesse est. Constat itaque

(inquit)

(inquit) necessariò tot esse substantias separatas, natura perpetuas,& immobiles, absq; magnitudine propter prædictas caussas: quot simplices lationes in stellis deprehēduntur. Has igitur(inquit)substantias esse, patet. Atque quæ eorum prima, quæve secunda,eo ordine esse, quo & ordo lationum orbium apparet; id est, sicut ordo orbium est; ita & orbium motorum est. Lationes aliquando orbes,interdum sicut & sonant,motus significant. Stellæ verò vt sonant,stellas,nonnunquam verò orbes,quorum sunt partes. Vt autem pluralitas substātiarum separatarum deprehendatur,opus est,vt prius pluralitas simplicium lationum comperta habeatur.Hæc pluralitas(inquit)simplicia lationum ab astrologia petatur,quę est peculiarissima huius rei sciētia,quæ sola ex mathematica speculatur de substantia sensibili,& æterna: cæteræ verò mathematicæ sicut geometria, & Arithmetica de nulla substantia considerant.Pluribus lationibus vnumquodq; errantium astrorum ferri; omnibus(inquit)qui vel parum astrologicę speculationis attigerunt,manifestum est. Quot verò(inquit) id est, lationes sint, nunc nos ea dicimus esse: id est affirmamus; quæ quidam mathematicorum,id est,astrologorum aiunt; intelligendi gratia dicentes,vt aliquam determinatam pluralitatem mente percipiamus.¦Deinceps; id est,cum eorum opiniones adduxerimus,quædam (inquit) nos ipsos ex ijs quærere decet; id est ex nostra mente statuere; & quædam à querentibus; id est, astrologiæ operam dantibus; si quid prẹter ea,quæ nos statuimus, aliter videbitur: certioribus,inquit, adhęrebimus; & vtrisque, id est, & certioribus, & minus certis gratiam habebimus. Deinde ex astrologia Eudoxi, & Calippi refert, quot sint motus,& ex motuum cognitione quot sphærę; id est orbes cœli,& ex eorum ordine quot substantię separatę motrices,

trices,& quis eorum ordo. Quæ vt verisimilia viderentur tradidit & quę essent polorum declinationes vniuscuiusque orbis, & eorum ad diuersa progressiones, & alia ad hanc rem necessaria.

Quorum omnium expositionem missam facimus, cum quia nostra tempestate plenior, & copiosior est de cœlo cognitio, tum quia præpotenti Diuina virtute adiuti, nos tanquam nostrum inuentum in philosophia Aristotelis astrologiam multò probabiliorem habemus, & Philosophiæ Aristotelis omnino consentaneam, immo quæ est quædam pars metaphysicæ eius, quatenus speculatur de substantijs, quę sunt orbes cœli, & quodammodo de earũ animabus, & quodammodo de substantijs separatis mouentibus, & etiam de modo, quo immobiles motores moueant animatos orbes, ex qua astrologia, quæcunque ad hanc nostram rem necessaria visa fuerint, afferemus, aliorum omnium, qui de cœlo scripserunt, positiones non sine ratione refellentes. Eudoxus, & Calippus enituntur vt apparentes errantium stellarum inæqualitates tueantur, in orbibus concẽtricis, & ex nostris Fracastorius, & ad ęquales motus redigant. Quanquam huiusmodi orbes philosophia Aristotelis admittit: tamen præter alia quamplurima, quibus philosophiæ Aristotelis repugnant, ex maiore parte (vt mathematici tractant astrologiam, quorum est accidentia speculari) dicere coguntur orbem ab orbe moueri, & sisti trahendo, impellendo, rapiendo, vehendo, & alia huiusmodi his substantis omnino indigna, & huic philosophiæ omnino repugnantia; & ideò meritò refellenda. Alia item ratio prorsus non audienda tuendarum huiusmodi inęqualitatum in orbibus eccentricis, & epicyclis est inuentum summi mathematici Claudij Ptolomei, vt in suo Almagesto; id est, libro magnæ compositionis

est videre. Hunc sequuntur Georgius Probachius, Serenissimus Alphonsus Rex Castellæ, & quamplurimi prestantissimo ingenio viri, & vbique terrarum scholæ ferè omnes magno applausu, & admiratione allegant. Propterea (inquam) non est audienda, quia eiusmodi positiones philosophiæ Aristotelis sunt contrarię, pręsertim vero secundo de cęlo, & mundo. Et quia nos proprio sensu quędam animaduertimus, quibus eius positio prorsus tollitur. Quæ quia in cognitione stellarum paulò versatioribus quin sint grata futura non dubitamus; ideò operæpretium fore duximus, si ea hic quàm breuissimè paucis perstrinxerimus.

Si stellæ in eccentricis, & epicyclis deferrentur, sequeretur illas esse modo nobis propinquiores, modo verò remotiores: atque ideò modo maiores, modo verò minores viderentur. Quare stellam, quam indigno nomine Martem appellamus, aiunt deferri in epicyclo tantæ magnitudinis. Quod si esset verum, sequeretur stellam propè oppositum augis constitutam, qualium est distans à centro vniuersi, vnius, talium propè augem constitutam distare trium; atque ideò maior, & minor in his positionibus, tripla, & tertia pars appareret. At quoniam iudicio omnium hęc stella semper æqualis cernitur; ideò in epicyclo nō defertur. Hoc idem ex stella Veneris probatur, cuius, vt & Martis epicyclū aiunt apparere tantæ, & aliquanto maioris vastitatis. Nam hęc stella propè oppositum augis, & propè augem delata, quantum tria excedunt vnum, tantum pro accessione, & recessione excedere, & minui videretur. At quia in vtraque positione semper ęqualis conspicitur; ideò sequitur nec stellę Veneris esse epicyclū. Quorum sensus absque vllo instrumento certissimus est iudex. Magnitudinem corporis Lunaris cum suum orbem lumine complesset, instrumento, cuius diameter ferè viginti

passuum

passiuum erat, obseruaui dum esset in auge, & dum esset in opposito augis epicycli, iuxta eorum positiones, si in epicyclo deferretur, si in illa positione erat quinque, in hac erit sex. Verùm quia earum duarum positionum nullam omnino, quę quidem percipi sensu posset, differētiam magnitudinis reperi: ideò nec Luna profectò in epicyclo defertur. Quæ verò maculæ in corpore Lunari apparent, eæ semper centrum vniuersi respiciunt: at si in epicyclo deferrentur, certè non semper eadem pars terram aspiceret; sed vicissim vnaquæque pars in quauis epicycli reuolutione. Quamobrem nec Luna in epicyclo defertur. Verùm quoniam proprietas rationum de cœlo exigit, vt quod de vno verum esse probatur, id etiam de omnibus eiusmodi verum esse credatur: sicut Luna rotunda demonstrata, omnes etiam stellę rotundæ creduntur: ideò quod de ijs tribus probatum est, id de omnibus alijs credendum est. Cũ verò sit positio inanis epicyclorum, per cõsequens debet esse & eccentricorum, cum ex eadem persuasione sint positi. Verum quid de admirandis motibus stellę Mercurij dicemus? quæ planè sub radijs solaribus ita occultatur, vt raro in toto mortalis vitæ curriculo videatur. Nihil sanè aliud nisi tam multa mira de illa Ptolomæum excogitasse, magis vt mathematicam disciplinam, (in qua illum excelluisse fatendum est) ostentaret, quam vt vera illa esse crederet. Quemadmodum nostra ętate Copernicus astrologiam in suo genere satis quidem illam elegantem; sed tamen & in se, & in philosophia Aristotelis nulli veritati innitentem excogitauit.

Nobis autem ex ijs, quæ in motibus stellarum, & philosophia Aristotelis apparent, dicendum est cœlum mobile constare vno & triginta orbibus animatis, qui mouentur à quatuor & viginti substantijs intellectualibus à corpore

ſeparatis. Quæ quatenus ſunt primum pulchrum, & bonum, intelliguntur, & amore expetuntur ab animabus orbium in ſua intellectione ſuſcipientium nō ſolum ſpecies, ſed & ipſas ſubſtantias ſeparatas. Verùm quoniam, vt iam dictum eſt, ſunt formæ corporum neq; grauium, neque leuium, & figuræ perfectæ ſphæricæ; ideo quemadmodum in ſe quodam circulo conuertuntur: ita neceſſe eſt eorū quoque corpora circulo conuerti ſumma delectatione in ſuis intellectionibus continua perfruentes. Quorum quidem orbium vnuſquiſque mundo eſt concentricus.

Primus autē eorum vnò ſimplici motu mouetur: cæteri verò orbes mouentur vnuſquiſq; motu cōpoſito ex plurib. & diuerſis, ſimplicibus tamen motibus. Quorum quidē ſimplicium diuerſorū motuum vnuſquiſq; per ſe ſibi per totum ita eſt æqualis, vt tēporibus æqualibus æquales ſemper angulos cētro vniuerſi circumagat. Horum igitur vnius & triginta orbiū motus ſeſe noſtro præcipuè aſpectui obijcientium ſunt nouē, videlicet motus primi mobilis, ſtellarum fixarū, ſolis, triū planetarū mediorū, & triū inferiorū. Partes verò cæli his nouē motibus deſeruientes nouem ſphæras appellabimus. Prima itaq; ſphæra, quæ & primū mobile dicitur eſt primus orbis, qui intelligit, & vult pulchritudinē, & bonitatem primæ ſubſtantiæ ſeparatæ: quæ hac ratione eſt prima, quatenus vnaquæq; ſubſtātia ſeparata eſt & prima, & optima. Eſt etiā prima, quatenus in ordine oīum ſubſtātiarum ſeparatarū eſt prima. Quæ ſanè prima ſubſtantia ſeparata ex mente Ariſtotelis nō eſt huius vniuerſi opifex, & moderator Deus, vt omniū ferè conſenſu, quos quidē hac de re legere potuerim, creditur, excepto ſolo perilluſtri & ſanguine, & ingenio Pico. Atqui ſicut huius orbis anima ſuiipſius cognitione in ſeipſa circumagitur; ita & ipſe orbis in ſe circumagitur modo corporeo ab ortu in occaſum

ſub æquinoctiali. Tempus verò vnius ipſius conuerſionis communiter in vigintiquatuor partes, quas horas dicimus diuiditur. Huius quidem corporis in ſua celſitudine tanta eſt motus celeritas, vt in ictu oculi pluſquam ſeptem millia milliariorum prætervolet. Quę res tam mira vt oſtendatur abs re non erit paucis digredi. Dum nos in ſuperficie terrę exiſtentes motus ſtellarum quam maximis, & quam exactiſſimis inſtrumētis obſeruamus, terram ſanè nullius ferè magnitudinis propter tantā diſtātiam conſpicimus. Quare ſi tota terrena moles in tranſitu ſtellarum, vel ſuperiorū orbium poneretur, nulla eius magnitudo vel maxima acie oculorum cerneretur. Quoniam igitur in illa tanta celeritate viſus noſter pręter volatum ſtellarum tam exiguo, & tā inſenſibili ſpatio in ictu oculi conſpicit; & quia hoc ſenſibile, quod tam exiguum eſt, diameter orbis terrarum eſt pluſquam ſeptem millia milliariorū; ideò ſtellatus orbis, & multò celerius ſuperiores orbes in ictu oculi pluſquā ſeptem millia milliū paſſuum celerrimo ſuo motu pręteruolant. Sed vt eò, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Hæc ſubſtātia eſt proprius motor primi orbis, vel primę ſphęrę, vel primi mobilis, quę tantū ab hoc vno motore mouetur, etenim cæteri orbes vnuſquiſq; illorū, pręter eum motū, quo à proprio motore mouetur: at ab aliquo, & ab aliquib. alijs motoribus mouentur. Pręſertim verò oēs orbes pręter motū, quo à proprio motore, & ab alijs motoribus mouentur, ab hoc etiam primo motore ratione pulchri, & boni, intellecti, & voliti mouentur. Secūda ſphera tribus orbibus cōſtat, in quorum tertio omnes ſtellę nō erraticæ deferūtur. Hęc aūt ſphęra à tribus motoribus ſubſtātijs ſeparatis primo mouetur motu progreſſionis, & motu trepidationis. Huius ſphęrę primus orbis primū intelligit, & vult primā harū triū ſubſtātiarū ratione pulchri, & boni, & ab ipſa motu

pro-

progreſſionis ab ortu in occaſum ſub ecclipticа interual-lo centum annorum vno ferè gradu mouetur. Secundus orbis intelligit, & vult primum ſecundam ſubſtantiam ſeparatam, & ab ipſa mouetur ab auſtro in aquilonem, cuius poli ſunt ſub principio arietis, & libræ proximi orbis: deinde intelligit, & vult huius ſphæræ primam ſubſtantiam ſeparatam. Tertius orbis, in quo ſunt omnes ſtellæ non errãtes intelligit, & vult tertiam ſubſtantiam, & ab ipſa primo mouetur ab aquilone ad auſtrum ſuper polis diſtantibus à polis proximi orbis gradibus quatuor, minutis ferè duodeuiginti. Deinde intelligit, & vult ſecundam ſubſtãtiam, & ab ipſa mouetur ab auſtro in aquilonẽ ita, vt ex ijs duabus motibus in ſtellis appareat motus trepidationis. Deinde intelligit, & vult primam ſubſtantiam ſeparatam huius ſphæræ motricem, ita, vt in ſtellis non errantibus appareat motus progreſſionis, & motus trepidationis. Atqui ſicut primæ ſphæræ primam ſubſtantiam ſeparatam omnes orbes intelligunt, & volunt, & ab ipſa mouentur; ita & huius ſphæræ has tres ſubſtantias ſeparatas omnes orbes inferiores intelligunt, & volunt, & ab ipſis mouentur præter proprium, & alios motus, quibus à ſubſtantijs ſeparatis mouentur.

Tertia ſphæra, quæ quatuor orbibus conſtat tres tãtum ſubſtantias ſeparatas habet; quas primo intelligit, & vult, & à quibus ij quatuor orbes primò mouentur, quorum vnuſquiſq; annuo tempore ſuum curriculum perficit. Primus horum orbium intelligit, & vult primam harum trium ſubſtantiarum, & ab ipſa ſub ecclipticа mouetur ab occaſu in ortum, quem motum progreſſionis dicimus. Secundus, & tertius orbis intelligit, & vult ſecundam, & tertiam ſubſtantiam, à quibus & mouentur alter ab auſtro in aquilonem, alter verò ab aquilone in auſtrum ſuper polis in

eccli-

ecclipticæ exiſtentibus, & inuicem diſtantibus quanta eſt apparens inæqualitas motus, quem nos vocamus progreſſionis, & regreſſionis. Secundò ij duo orbes intelligunt, & volunt, primam harum trium ſubſtantiarum, & ab ipſa mouentur. Quartus orbis, in quo eſt Sol intelligit, & vult primò, & ſimul has tres ſubſtãtias, & ab ipſis mouetur ſub ecclipticæ motu progreſſionis, & regreſſionis, & motu progreſſionis. Licet autem hic inæqualis motus inſtrumentis deprehendatur, qui componitur ex tribus ſimplicibus, & æqualibus motibus: naturæ tamen cœleſtium corporum non repugnat; id eſt, nec naturę mentium mouẽtium, nec naturæ mentium cœleſtium ab vna mente plures ſubſtantias intelligibiles ſimul intelligi. Ideò dixi ab ijs quatuor orbibus primo intelligi has tres ſubſtãtias motrices; quia ſecundo intelligunt, & volunt ſubſtantias ſeparatas ſecũdæ ſphæræ, & ab ipſis mouentur, deinde primum mouentem. Quod ſi quis quæreret cur non prius ſuperiorem ſubſtantiam tanquam nobiliorem? reſpondendum, quæ nobis propinquiora ſunt, ea quoad nos prima. Has tres ſubſtantias ſeparatas intelligunt, & volunt omnes orbes inferiores, ita, vt in eorum vniuſcuiuſque motibus aliqua ratio ſolaris motus deprehendatur, exceptis orbibus ſphærę lunaris; qui orbes quia rationem motus à motoribus ſolaribus expetere non videntur; ideò corpus Lunæ à corpore Solis lumen accipit mutuum. Vt Solem ſupra alios planetas, non autem ex communi aſtrologorum ſententia in illorum medio collocauerimus, facili, & efficaci ratione compulſi ſumus. Etenim cum in ordine excellentiæ ab inferiore ſuperior appetatur, non autem à ſuperiore inferior: ab orbibus aliorum planetarum motor ſolaris ſphæræ appetitur, non autem contra; ideò excellentior, & excelſior ſitus ſphærę ſolaris, quam aliorum planetarum.

Trium

Trium mediarum sphęrarum vnaquæq; habet tres motores,& quatuor orbes vt sphæra Solis. Vniuscuiusq; sphęræ primus orbis mouetur ab occasu in ortum motu progressionis sub circulo ab ecliptica declinante & ipsam in mūdi diametro secante, sub quo circulo sunt poli duorum orbium mediorum, quorum contranitentes motus sunt caussa progressionis,& regressionis stellarum. Quartus orbis vniuscuiusque sphæræ, in quo sua stella defertur intelligit,& vult primo,& simul tres suæ sphærę substantias separatas,& mouetur ex tribus motoribus composito motu, qui motus distinguitur in motū progressionis,& in motum progressionis,& regressionis. Quarum trium sphærarum: primę primus orbis vnum progressionis motum perficit annis triginta solaribus: secundæ verò sphærę annis duodecim; tertię annis duobus. Duo medij orbes in vnaquaque sphæra, in quibus est ratio motus progressionis,& regressionis primę sphærę sunt velociores, quam secundę, & secundæ quam tertiæ, ita, vt quo motus progressionis est tardior, eo motus progressionis, & regressionis eiusdem sphærę est velocior, tabulisq; vterq; sumptus simul est ęqualis in gradibus,& minutis gradibus,& minutis motus Solis. Atque ita hoc proprium habent,& in hoc cum Sole conueniunt: vnaquæque harum stellarum, dum est coniuncta cum Sole, est in medio huius secundę progressionis; dum autem est Soli opposita est in medio regressionis.

Trium inferiorum sphęrarum prima,& secunda tres tātum orbes,& duos motores vtraq; earum habet. Primus, & secundus vtriusq; sphærę orbis intelligit, & vult primus primam, secundus verò secundam substātiam separatam, à quibus substantijs & mouetur ab austro in aquilonem, & ab aquilone in austrum. Quorum motuum poli sub ecliptica sunt distantes pro ratione motus, quem appellamus progres-

progreſſionis,& regreſſionis à motoribus,qui eorum cauſ ſa ſunt. Qui gemini vtriuſque ſphæræ orbes ſecundo intelligunt, & volunt motorem primi orbis ſphæræ Solis. Tertius orbis tam primæ, quam ſecundę ſphæræ, in quo ſua ſtella figitur, intelligit, & vult duos primos ſuę ſphæræ motores,& motorem primi orbis ſphęrę Solis,ita,vt & motu progreſſionis Solis, & motu progreſſionis & regreſſionis ſuę ſphæræ proprio ſimul moueatur. Quia verò tertia harum trium ſphærarum,quę eſt Lunę in ſuis motibus non mouetur à motoribus Solis; ideò corpus eius lucem nobis conſpicuam à corpore ipſius Solis accipit. Quę tertia ſphæra conſtat quinque orbibus, & habet quatuor ſeparatos motores. Primus orbis intelligit, & vult primam harum ſubſtantiarum ſeparatarum, & ab ipſa mouetur ſub ecclíptica ab ortu in occaſum ferè tribus minutis ſingulis diebus. Secundus orbis à ſecunda ſubſtantia ſeparata primo mouetur ab occaſu in ortum ſub circulo ab eccliptica quinque gradibus ab vtraque parte declinante motu progreſſionis. Deinde mouetur,& à prima ſuæ ſphęrę ſubſtantia ſeparata. Tertius,& quartus orbis intelligunt,& volunt primo tertiam,& quartam ſubſtantiam ſeparatam, & ab ipſis mouentur ab auſtro in aquilonem alter,& ab aquilone in auſtrum alter: quorum motuum poli ſunt ſub circulo,quem ſecundus orbis in ſuo motu deſcribit inuicem diſtantes, quanta eſt ratio progreſſionis, & regreſſionis, cuius hi motores,& cauſſa ſunt. Secundò hi orbes intelligunt, & volunt ſecundam, & primam ſeparatam ſubſtantiam huius ſphærę, & ab ipſis mouentur. Quintus orbis, quo Luna defertur intelligit,& vult & quartum,& tertium, & ſecundum, & primum huius ſphærę motores primo, & ſimul ab ipſis mouetur motu compoſito nobis apparenti.

Quia igitur primę ſphęrę eſt vnus motor, & vnus orbis:

ſecundę tres motores,& tres orbes : tertię tres motores,& quatuor orbes. Trium mediarum ſphærarum nouem motores , & duodecim orbes : trium inferiorum octo motores,& vndecim orbes: ideò totius cęli motores quatuor & viginti ; id eſt,ſubſtantię ſeparatę,& orbes vnus & triginta.

Poſtquam Ariſtoteles poſitionem aſtronomorum ſui temporis narraſſet, & ex motibus apparentibus ſtellarum (qui ſunt compoſiti motus) motus in ſe æquales diſtinxiſſet, & cuique æquali motui ſuum proprium orbem dediſſet,conſequenter concludit,inquiens. Quare rationabiliter arbitrandum eſt ſubſtantias quoque & principia tum immobilia ; id eſt ſubſtantias ſeparatas ; tum ſenſibilia ; id eſt,orbes,tot eſſe, Quot,ſtatim ſubiungit, neceſſarium ſit de ijs credendum , ſe potentioribus relinquere ; id eſt , ijs,qui pleniorem, & copioſiorem poſt ſe de cœlo cognitionē habituri eſſent : quamplurima enim abſurda in eorum poſitionibus videbat.Vt inuehar contra has antiquorum poſitiones,& contra recentiorum eccentricos,& epicyclos ad gloriam ſui ingenij aucupādam,ad maiorē pretio rudibus veritatis inaniſſimam diuinatricem aſtrologiā venditandam,ad ſtudioſis non ferendos labores adaugendos,excogitatos ; cum per ſe ruant nullis veris nixi fundamentis propoſita mihi breuitas , & præſens tractatus amplius dicere non permittit, Deo benedicto tamen iuuāte, in ſuo peculiari tractatu,cum ſim dicturus.Cum itaq; Ariſtoteles cōcludat, quot lationes in ſtellis deprehēduntur, tot eſſe corpora Diuina,quorum ſunt lationes ipſa Diuina corpora deferentia , & quot item lationes ſunt , totidem eſſe ſubſtantias ſeparatas mouentes ; cur nos vnum & triginta orbes, & quatuor & viginti ſubſtantias ſeparatas ſtatuimus ? facilis eſt reſponſio . Nam in huiuſmodi poſitionibus tantum abeſt , vt philoſophię Ariſtotelis non conſtemus,

ſtemus, vt in ipſamet eius philoſophia omnium harum ratio ſita ſit. His verò poſitionibus nullatenus aſſentimur, quę ex aſtronomia & ſibi etiam minimè probabili viſa deſumptæ ſunt. Nos philoſophiæ Ariſtotelis conſtare clarũ eſt. Nam cum in toto cœlo viginti quatuor motus ſimplices ſint, ſeptem verò motus compoſiti: illos motus progreſſionis; hos autem progreſſionis, & progreſſionis, & regreſſionis appellamus; vnicuique horum motuum neceſſe eſt vnum orbem dare, & quem orbem moueat, & cuius orbis motus ſit: dicendum igitur eſt vno & triginta orbibus cœlum conſtare. Item cum in cœlo ſint quatuor & viginti motus ſimplices, ſeptem verò compoſiti: ſimplex vnuſquiſque ſuum motorem, qui moueat, habeat oportet: compoſiti verò ſeptem motus, quia ſunt compoſiti ex quibuſdam horum quatuor & viginti motuum; ideò motores ſimplicium motuum ſunt motores & compoſitorum. Ergo non alij præter viginti quatuor motores, qui ſunt ad hoc in cœlo ſubſtantiæ ſeparatę. Nullum autem eſt inconueniens vnum orbem à pluribus motoribus ratione intellecti, & politi moueri. Intellecti, & politi tum primo, tum ſecundo, tum ſimul. Nam quæ fieri poſſunt à noſtro intellectu, quantò magis ab intellectu illorum Diuinorum corporum in hac philoſophia?

Cum egiſſet de pluralitate orbium cœli, & de pluralitate ſubſtantiarum ſeparatarum dat operam, vt probet neque ſubſtantias ſeparatas, neque orbes cœli eſſe plures numero, vt homines ſunt plures numero: ſed eſſe vnum cœlum, & vnam ſubſtantiam ſeparatam, quia non habent materiam. Quare quod primum actu eſt vnaquæque harum ſubſtantiarum ſeparatarum, quatenus ſingularis, id ſunt, & omnes ſubſtantiæ ſeparatæ. Item vnuſquiſque orbis quod primum actu eſt, quatenus ſingularis, id ſunt & omnes orbes.

bes. Homines verò ratione ſpeciei licet quod vnus eſt, id ſint omnes ſimul; ratione tamen ſingulorum vnuſquiſque eſt diuerſus, & alius ab alio, atq; inuicem numero differentes. Cœlum (inquit) eſſe vnum manifeſtum eſt hac ratione. Si plures enim cœli; id eſt, ſi orbes cœli plures eſſent, ſicut homines, qui ſunt plures numero, ſequeretur quemadmodum vniuſcuiuſq; hominis principium eſt vnū ſpecie; multa vero numero, & cœlorum; id eſt, orbium, ita eſſe; atq; ideò materiam habere, id quod eſt contrariū ei, quod probatum eſt. Deinde declarat quomodo vniuſcuiuſq; hominis principium; & quod primum actu eſt, id eſſe ſpecie vnum, numero verò multa, inquiens. Vna, & eadē ratio multorum eſt veluti hominis. Socrates verò vnus. Principium ſubſtantiale hominis, quod primum actu eſt, eſt homo, & omnes homines, & vnumquemq; ſignificat, eſtq; vnū ſpecie, multa verò numero. Vnum ſpecie, quatenus omnium hominum eſt eadem ratio, eatenus omnis homo eſt vnum ſpecie. Homo eſt multa numerò, quatenus Socrates vnus eſt, & ratione formæ proprię, & ratione materiæ propriæ. Plato vnus, & alter ratione proprię formæ, & ratione propriæ materiæ. Homo itaq; ex omnibus hic dictis quatenus multa ſingularia ſignificat numero multa. Quia igitur ex parte formæ ſunt vnum, reſtat vt ex parte materiæ ſint multa numero. Propterea dixit; Quæcunq; ſunt multa numero materiam habere. Atq; ideò ſequeretur cœlum materiam habere, quod ex prędictis probatum eſt eſſe falſum. Deinde ijſdem rationibus probat vnum eſſe motorem, dicens. Quod erat eſſe primum, ſicut prius probatum eſt, non habet materiam, cum actus ſit, hoc verò intelligitur de quatuor & viginti motoribus ſeparatis, & de vnoquoq; illorū. At quæ materiam non habent non ſunt plura numero. Ergo & ratione, & numero vnum eſt primum mouens immobile

mobile

mobile ens. Item è conuerso probat, quia est vnum mouens; ideò esse vnum id, quod semper continuo motu mouetur, & ideò vnum tantum esse cœlum. Verum quoniam substantiæ separatæ sunt orbium motrices, ideò orbes illis vt materia sunt, quatenus in illam agunt. Cum substantias separatas etiam ab opere separatas, & abstractas considerat, tum eas quid erat esse appellat; ideò dixit, Primum, quod erat esse non habet materiam, cum actu sit. Postremò refert opiniones antiquorum quorundam, illius opinor prisci seculi, qui nobis propter suam ruditatem animi sui sensa fabularum ineptijs inuoluta scripta reliquerunt. Quod ij Dij sint; id est, stellæ, & orbes. Et quod vniuersam naturam; id est, vniuersum mundum; Diuinum; id est cęlum contineat. Cætera esse ad persuasionem vulgi, & ad obseruantiam legum ait, scilicet quod ij similes hominibus sint, & quorundam animalium, & alia ijs similia ex ijs consequentia. Ex quibus omnibus ait. Si quis illud solum, quod primum dictum est accipiat; id est, quod Deos arbitrabantur esse primas substantias, Diuinè, ait, dictum putabit. Hoc credendum est ex vsu vulgi eum loqui. Quod verò ait, sæpius artes, & philosophiam inuentas fuisse, & corruptas, & has reliquias saluatas esse, & ad nos deuenisse. Mihi profectò vsu eius sententiæ contrarium compertum est, & reliquas scientias, & maximè philosophiam in dies perfectius limari, & ad summum perduci. & quo vnumquodq; sæculum antiquius, eo rudius reipsa patere. Hic non possum non mirari tam claram, & tam perfectam cognitionem sæculi nostri, presertim verò nostræ Christianæ Religionis, quam doctissimi dum agunt, de cœlo non indignari vti nominibus ab idololatris, & ineruditis hominibus inditis, & ea dignioribus, & verioribus non honestare.

CA-

## CAPVT IX.

*EA verò, quæ circa mentem sunt, quasdam dubitationes habent. videtur enim eorum quæ apparent quid Diuinissimum esse: quo verò modo se habẽs tale erit, difficultates quasdam habet. Siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens, quidnam præcellens erit? Siue intelligat, huius verò aliud sit principale (non enim id, quod est eius substantia intellectio erit, sed potentia) profectò non erit optima substantia. Si quidem eo quod intelligit ei honorabilitas inest. Præterea siue mens, siue intellectio eius substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsam, aut aliquid aliud: quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Vtrum autem differt aliquid, an nihil intelligere bonum, vel quodcunque? An verò de quibusdam ipsam etiam & cogitare absurdum est? Manifestum itaque quod illud intelligit, quod Diuinissimum, honorabilissimumque est. Neque mutatur in deterius: nanque mutatio fieret, ac motus, quod huiusmodi iam esset. Primo igitur si non est intellectio, sed potentia, rationabile est laboriosam ei continuationem intelligendi esse: deinde dilucidum, quod aliquid aliud honorabilius esset quàm mens, id scilicet, quod intelligitur. Et intelligere profectò ac intellectio, & quod pessimum intelligenti inerit: quare fugiendum hoc sit. Etenim quædam melius est non videre, quam videre: alioqui non fuerit quod optimum intellectio. Seipsam ergo intelligit, si est quidem, quod optimum est: & est intellectio intellectionis intellectio. At videtur semper alterius tum scientia, tum sensus, & opinio, ac mens: sin verò ipsius præter necessitatem. Si aliud præterea intelligere, aliud intelligi sit, secundum quod horum inest ei bene esse, quando quidem non est idem intellectioni esse, & intellecto. An in quibusdam est scientia ipsa res? in effectiuis quidem absque materia substantia, & ipsum quid erat esse: in speculatiuis verò ratio, res, & intellectio. Cum igitur*

*non sit diuersum ab eo, quod intelligitur & intellectus, quæcunque non habent materiam idem erunt, ac intellectio una eius, quod intelligitur. Item restat dubitatio, utrum compositum sit, quod intelligitur, mutaretur etenim in partibus totius. An omne non habens materiam indiuisibile est? quemadmodum humanus intellectus: an compositorum se in aliquo tempore habet. nam non bene esse habet in hoc: uerum in toto quoddam, quod optimum est, aliud ab eo existens: sic autem ipsa suipsius intellectio, per totum æternum se habet.*

## EXPOSITIO.

De substantia, quæ est à sensibilibus separata, tum quatenus se habet ad cœlum, tum ad alia corporali motu mota: & etiam quomodo se habeat ad animam cæli, quæ anima est mens, & intellectus: quam animam ipsa substantia separata primo mouet: sicut in motibus animalium mouent cognita, & volita. Quia verò hæc substantia separata, quam anima cœli intelligit, & vult, est actu ens; ideò & ipsa substātia separata est mens, & intellectus, vt in septimo Capite ostensum est. Ordo huiusmodi mentium separatarum est sicut & motuum simplicium, qui in stellis deprehenduntur. Quem ordinem mentium appellat ibidem secundum ordinem intellectorum, ideò, quia primus ordo intellectorum, quoad nos, est ordo animarum orbium. Cuius secundi ordinis substantia est prima substantia simplex, actu ens, à qua tum cœlum, tum cætera dependent. De qua substantia quomodo sese habeat, quia adhuc non est perscrutatum: ideò hoc Capite propositis varijs dubitationibus de ipsa secundi ordinis mente, quomodo sese habeat, tractat, inquiens. Ea, quæ circa mentem sunt quasdam dubitationes habent. Quarũ hæc est prima. Quoniam eorum, quæ apparent in ordine

moto-

motorum,& mouentium in ipso vniuerso ex ijs, quæ hacte nus dicta sunt hęc substantia est quid Diuinissimum: quomodo (inquit) ipsa in sese habens talis erit? necesse est dicere, vt aut aliquid intelligat; aut nihil intelligat, sed vt se habeat vt dormiens: si hoc quid egregium eius, quid excellens erit? Quod si intelligit, dicendum est eam sui aliũ authorem, & principalem habere; id est, hoc, quod intelligit, & eius substantiam non esse intellectionem, sed potentiam ad id, quod intelligit; & ideò non esse optimam substantiam, sicut in præcedentibus determinatum est eã esse. Præsertim verò quoniam honorabilitas, & præcellentia, quæ ei attribuitur ex intellectione est, intellectio verò necesse est, vt alium authorem habeat. Quibus dubitationibus non dissolutis ad alia se transfert, dicens. Præterea siue mens; id est, intellectus possibilis; siue intellectio; id est, intellectus actu ens substantia sit, perscrutandum est quid intelligat. Hoc loco notandum est philosophum nõ querere an ab ijs mentibus hęc inferiora intelligantur, quę quia eorundem inferiorum sunt caussę, & quia seipsas intelligentes; ideò dicendum ab eis suo lumine hæc inferiora cognosci multò eminentiore, & perfectiore ratione, quam ipsa in seipsis sint; sed querere quid sit hoc, quod intelligunt, ita, vt ex ipso eis excellentia contingat, sicut animis orbium intellectione harum substantiarum. Itaq; (inquit) necesse est, vel vt seipsam intelligat: vel vt aliquid aliud. Et si aliquid aliud, vel quod idem semper: vel quod semper aliud, & aliud. Hanc postremam dubitationem negat, & contra eam sic respondet. Data intellectione alterius, quod est bonum; & data intellectione quorumcunque contingentium bonorum, & non bonorum. Vtrum autem (inquit) differt aliquid an nihil, intelligere bonum, vel quodcunque; id est, bonum, & non bonum? Respon-

det

det absurdum esse etiam de aliquibus & cogitare; id est, de non bonis. Quandoquidem in cogitatione bonorum est bonum, in cogitatione vero non bonorum non est bonum. Præsertim vero in hac prima substantia, cuius bonitas, honorabilitas, & præstantia ex intellectione est. Concludit itaque tanquam ex se manifestum ab illa intelligi id, quod est Diuinissimum, honorabilissimumque. Cum autem dixerit ab hoc ordine; id est, ab hac mente non intelligi in sua operatione, ex qua præstantia ei inesse quodcunque contingit; id est, siue bonum, siue malum; sed necessario ab ea intelligi id, quod est honorabilissimum, Diuinissimumque ait. Et non mutatur in deterius, id est, ex bono in non bonum; quia hoc esset mutatio, & motus à Diuinissimo, honorabilissimoque ad deterius. Cum verò statuerit huius substantiam nō esse substantia intellectionem, sed mētem, & intellectum, & ab illa intelligi id quod est Diuinissimum, honorabilissimumque, mox dubitat dicens. Primò igitur si non est intellectio, sed potentia; ideò dixit, sed potentia. Quoniam omnis mens, & intellectus est potentia ad intellectionem, sicut oculus ad lucem. Rationabile (inquit) est, quatenus extra se lucem habet, & est ad eam in potentia, vt eius operatio sit cū labore. Nos enim dum ea petimus ab externis laboramus: ita eius continuatio intelligendi ex potentia in actum esset laboriosa. Atque contra superius probata sequeretur aliquid aliud honorabilius esse quam mentem, id scilicet quod intelligitur. Item sequeretur esse intelligere, & intellectionē, quatenus est continuatio potentiæ, & actus, quod pessimum esset, ideò, quia sicut in primo bonum est optimum, ita in primo malum est pessimum. Quare hoc fugiendum est; id est, in hoc primo rationabile non est, vt admittatur. Quoniam, vt supra dixit, melius est quædam non videre,

L quam

quam videre; id eſt, In quibus malum ineſt melius eſt ea non operari, quam operari. Item præter hæc inconuenientia ſequeretur huius ſubſtantiæ intellectionem non eſſe quid optimum, vt contrarium huic in ſeptimo Capite eſt probatum. Vt hæc ſubſtantia non ſit abſolutè intellectio, ſed ſit mens, & intellectus. Et vt in ordine cauſſarum vniuerſi, ſicut ſupra eſt probatum, hæc ſubſtantia ſit primum, optimum, & præſtantiſſimum, dicendum eſt quod in textu hic continuatur, hanc ſubſtantiam intelligere ſeipſam. Si eſt (ſubiungit) quod optimum eſt, ideò quod ſit intellectio intellectionis intellectio. Hoc loco omnes expoſitores philoſopho aſſentiuntur, hanc mentem quatenus ſeipſam intelligit, & eſt cauſſa inferiorum; id eſt, cœli, & corporeorum ſuo lumine intelligere omnia vel minima, & cõtingentia quæ ſunt apud nos. Quapropter hęc omnia ab ipſa dependent ratione cauſſæ mouentis cognoſcentis ſeipſam vnitiuè, & eminenter, & perfectiore modo, quam nos ea cognoſcimus, & quam ipſa in ſeipſis exiſtunt. Verum Ariſtoteli non aſſentiuntur, nec cum illo conueniũt, quia ipſe in hoc Capite diſceptat de ſubſtantijs ſeparatis, quę mouent, & non mouentur: ipſi verò putant Ariſtotelem diſceptare de primo, ſummo & optimo omnium rerum authore Deo. Cum explanarit mentem ſeipſam intelligere, & eam eſſe intellectionem intellectionis intellectionem; deinde quærit vtro horum modorum quatenus intelligit, an quatenus intelligitur, benè ei eſſe exiſtat? Quod vt ſoluat, prius diſtinguit intelligentem, & intellectum in ipſa intellectione dicens. At videtur ſemper alterius eſſe tum ſcientia; id eſt, ſciti; tum ſenſus; id eſt, obiecti; & opinio, ac mens eodem modo, quoniam ſuiipſius nullum horum ex neceſſitate eſt, ſed alterius: ideò manifeſtum aliud eſſe intelligere, aliud verò intelligi; quærit

vtro

vtro horum modorum est ei bene esse? cum non sit idem intellectionis esse, & intellecto esse. Cum verò de distinctione, quæ in ipsa intellectione mentis est egerit, posteà quomodo hæc duo vnum sint, licet ita distinguantur, ait. An in quibusdam scientia est res ipsa? Quod probat & cognitione eorum, quæ sunt ex arte; & cognitione eorum, quæ natura sunt. Nam vtriusq; scientiam rem ipsam tradit in esse. In effectiuis (inquit) ita artificiata vocat, substantia sine materia, quæ est ipsa intellectio, & quod quid erat esse: id est, ipsius artificiati quod quid; quemadmodũ Hercules sine ratione lapidis, siue ligni idem est. In naturalibus verò de quibus est speculatiuus habitus cognitionis ratio, vel quod quid erat esse, res, & intellectio, cum non sint diuersum: id est; id, quod intelligitur, & intellectus: sequitur à minore ad maius, quæcunq; non habent materiam; sicut hic secundus ordo intellectorum, de quo est præsens speculatio, idem esse. Quia igitur (inquit) eadem est intellectio mentis, qua intelligit, & intelligitur; ideò dicendum est, & ratione intelligentis, & ratione intellecti vtroque modo bene esse. Hæc substantia separata, quæ vna consideratione distinguitur in intelligentem, & intellectum: alia verò consideratione & intelligens, & intellectum idem sunt: sicut vna est intellectio eorũ intellectionis. Quærit an id quod intelligitur compositum sit? Quoniam verò in intellectu est natura possibilis; id est; receptibilis; & natura agens; ideò quærit hæc natura receptibilis sit ne simplex, & an ita in sua simplicitate ab agente natura intelligatur? an cum intellectus sit susceptiuus, & intelligibilis, & substantiæ, vt in septimo Capite ostensum est, cum aliquo huiusmodi hæc natura susceptibilis composita à natura agente intelligatur? Respondet, Mutaretur etenim in partibus totius. Quod idem est, ac si diceret.

Vt sit composita hæc natura receptibilis, hoc (subiungit) sequitur i conueniens. Quia in sua intellectione esset mutatio in partibus totius. Quod quidem ijs cōtradicit, quibus perfectio huius primi probata est. Verum quoniam verum est omnem huiusmodi naturam infra in altissimo maiestatis throno residentem Deum compositam esse. Sicut in ijs substantijs separatis dum inferior superioris bonitates, & pulchritudines recipit: natura agens intelligit & suam, & receptam substantiam, & etiam (quod in proximè sequenti Capite patebit) bonitates, quæ diffunduntur ab vniuersi naturæ ipso bono, & ipso optimo Deo, vnaquæque pro suo captu recipit, & ex hoc etiam componitur. Quapropter vt obiectionem adducti inconuenientis soluat, ait, An omne non habēs materiam indiuisibile est: quemadmodum humanus intellectus. Humanus intellectus in eius philosophia est anima humana, quæ ex eadem sua philosophia, quoniam neque generationi, neque corruptioni potest dici obnoxia; ideò dixit, intellectum humanum non habere materiam; id est, materiam, quæ sit subiectum generationi, & corruptioni, quamuis in natura intellectiua sit materia, quæ est subiectum & potentia intellectionis. Immo verò in omnibus infra summum, & optimum Deum ratione vniuersali eadem est materia omnium: ratione verò singulari alia, & alia in vno quoque singulari. Postquam dixit immaterialia esse indiuisibilia, & ideò in natura intellectuali intellectorum compositionē non obstare naturæ perfectioni, subiungit, Aut qui compositorum se in aliquo tempore habet. Bonum intellectus est consecutio ipsius intellectionis, & tunc intellectus se se bene habet, cum ipsam intellectionem consecutam habet. Verum quoniam quæ nos intelligimus sunt composita non solum eo modo, quo supra disseruimus: verūetiam

compo-

compoſita ſunt: quemadmodum trianguli habentis tres angulos duobus rectis æquales, cuius intellectionis vnam partem vno tempore, aliam partem alio tẽpore totam verò intellectionem toto quodam tempore conſequimur. Quapropter huiuſmodi compoſitorum intellectus ait non bene ſe habet in hoc, aut in hoc tẽpore; verum, ſubiungit, in toto quodam, quod optimum eſt: id eſt, in toto quodã tempore conſequitur ſuum bonum. quod bonum totius, optimum appellat. Itẽ, ſubiungit, aliud eſſe ab eo exiſtens, id eſt, aliud eſſe id, quod intelligitur ab ipſo intellectu, qui intelligit. Quibus ita conſtitutis ait. Sic autem ipſa ſuiipſius intellectio per totum æternum ſe habet.

## CAPVT X.

*PErſcrutandum autem etiam hoc, quonam modo natura vniuerſi habeat ipſum bonum, & ipſum optimum: vtrum ſeparatum quiddam & ipſum, an per ſe, an ipſo ordine an vtroque modo, quemadmodum exercitus: etenim bene eſſe eius in ordine, & dux ipſe eſt, ac magis ipſe: non enim ipſe propter ordinem, verum ordo propter ipſum eſt. Cuncta autem coordinata quodammodo ſunt, verum non ſimiliter & natantia, & volatilia, & plantæ: nec ita ſe habent, vt ſit vllum alteri ad alterum, ſed ſunt ad quippiam. ad vnum nanque coordinata ſunt omnia. Verum quemadmodum in domo liberis quidem minimè licet quodcunque facere, ſed ea omnino, aut plurima, quæ ordinata ſunt: mancipijs verò, & beſtijs parum, quod ad commune conferat, ſed vt plurimum quodcunque contingit, tale nanque principium cuiuſque eorum natura eſt, dico autem pariformiter, quod neceſſe eſt omnia in diſcrimen venire: & alia ita ſunt, quibus omnia communicant ad vniuerſum complendum. Quæcunque verò impoſſibilia, ſiue abſurda aliter dicentibus accidunt, quæve dicunt gra-*

*tioſius*

*tiosius dicentes, ac in quibus minimè dubitationes sunt, non decet nos latere: omnes nanque ex contrarijs omnia faciunt. At non rectè id omnia, neque id ex contrarijs. Quibus autem contraria insunt, quonam modo ex contrarijs erunt, nō dicunt; quandoquidem contraria impassibilia sunt à se inuicem. A nobis autem rationi cōsentaneè hoc soluitur, cum aliquid tertium sit. Quidam verò alterum contrariorum materiam faciunt; quemadmodum, qui inæquale æquali, aut vni multa. Soluitur autem etiam hoc eodem modo: nam materia vna nulli contrarium est. Item cuncta participabūt malo præter ipsum vnum: alterum nanque elementorum ipsum malum est, at alij neque principia bonum, & malum, quanquam in omnibus maximè ipsum principium ipsum bonum sit. Quidam autem hoc quidem rectè, quod principium, quo verò modo ipsum bonum principium sit, vtrum vt finis, an vt mouens, an vt species non dicunt. Empedocles quoque absurdè amicitiam facit bonum, cum hæc principium sit, & vt mouens (siquidem congregat) & vt materia, nam misti pars est. At si etiam eidem accidat, & vt materiæ principio esse, & vt mouenti, ipsum tamen esse non idem est: secundum quid igitur horum amicitia est? Inconueniens item est, contentionem incorruptibilem esse, cum hæc ipsa mali natura sit. Anaxagoras autem boni ponit principium, vt mouens: mens enim mouet, verum alicuius gratia mouet. Quare alterum nisi sit, vt nos dicimus: ars enim medendi quodammodo sanitas est. Inconueniens etiam est, quod non fecerit aliquid bono, mentique contrarium. Porrò nulli eorum, qui ponunt contraria, vtuntur contrarijs, si quem inquirere non pigeat: & cur quædam corruptibilia, quædam incorruptibilia nemo dicit. Omnia nanque entia ex eisdem principijs faciunt. Præterea quidam ex non ente faciunt entia: quidam vt hoc non cogantur vnum cuncta faciunt. cur item semper generatio erit, quidque generationis caussa sit dicit nemo. At tum illis, qui duo principia faciunt aliud principalius principium necesse est esse, tum illis qui species. quia aliud principalius*

princi-

*principium est. Cur enim participauit, aut participat? Et alijs quidem necesse est sapientiæ, ac nobilissimæ scientiæ aliquid contrarium ponere esse, nobis verò minimè: nihil enim est primo contrarium: quandoquidem cuncta contraria materiam habent, & potentia hæc sunt. contraria verò ignorantia ad contrarium: primo autem nihil contrarium est.¶Præterea si non erunt alia præter sensibilia, non erit principium, ordo, generatio, ipsa cœlestia, sed semper principij principium, vt Theologis, physicisque cunctis. Si autem erunt species, aut numeri nullius caussæ erunt: si verò non, saltem ipsius motus: quo nanque item modo ex non habentibus magnitudinem magnitudo, continuumque erit? numerus nanque non faciet contrarium: neque vt mouens, neque vt species. Cæterum nihil contrariorum erit ipsum & factiuum, & motiuum: alioqui contingere sanè posset non esse. verum enimuerò & facere posterius quam potētia est. Entia ergo non erunt sempiterna: attamen sunt. interimendum igitur aliquid horum est; hoc autem aliquo pacto dictum est. Item quomodo numeri sunt vnum, aut anima, aut corpus, & omnino species, & res, nemo aliquid dicit, nec dicere possit, nisi (vt nos dicat) quod vt mouens faciat. Qui verò dicunt mathematicum numerum primum, & ita semper aliam attiguam substantiam, ac alia cuiusque principia, inconspirantem vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa, at entia nolunt malè gubernari. non est bonum pluralitas principatuum, vnus ergo princeps.*

## EXPOSITIO.

IN præcedentibus Capitibus cum miro ordine excellentiam præstantissimarum creaturarum inuestigasset, in hoc fontem, caput, & originem vniuersi perscrutatur, Deum. Cuius immensæ bonitatis splendore quamuis omnia creata resplendeant, quia tamen hoc supereminens principium lucem habitat inac-

cessibi-

ceſſibilem; ideò communi omnium conſenſu ſi Ariſtoteles in quauis alia parte ſuæ philoſophiæ eſt breuis, in hac eſt perbreuis. Quanquam verò hactenus de toto vniuerſo ſub ſpecie trium ſubſtātiarum ſuo ſingulari methodo quā accuratiſſimè diſſeruerit, tum de ſubſtantijs, tum de principijs ſubſtantiarum; de proprietatibus tamen primæ omnium cauſſę Dei nec in ſecunda, nec in tertia parte huius tractatus vſquam meminit. Quæ quidem partes vniuerſi, & ipſum ſimul vniuerſum conſtat ex diuerſis ſingularibus; in quibus etſi cauſſæ, & principia inſunt; inſunt tamen cauſſæ, & principia alicuius, vel aliquorum; verum in illis nulla cauſſa, quæ ſit cauſſa omnium reperitur. Quemadmodum enim vnumquodque generabilium, & corruptibilium in ſe ſuas cauſſas & actiuas, & paſſiuas habet, quibus continuè tranſmutantur, & ſibi ſpecie ſimile producunt; ita omnium tam diuerſorū ſingularium vna ſit cauſſa neceſſe eſt. Hanc ſub cœlo quærere eſſet maximè abſurdum: cœlum vniuerſi cauſſam appellare, eſſet maximæ ruditatis, tametſi cœlum adeò admirandum & videatur, & re uera ſit, vt hęc inferiora corporea, & à toto cœlo, & quauis ipſius parte gubernentur, & pendeant motu, & calore à cœleſti lumine emanante ſimul producendo, confouendo, exhilarando. Verum quoniam hæc inferiora corporea ita à cœlo dependent, vt cœlum cum animali animal, cum planta plantam producat: ſicut etiam & eadem aqua, & eadem terra cum faba fabam: & cum milio milium proferunt: ideò luce clarius patet neceſſariò dictis, & alijs ſingularibus eiuſmodi productiones à cœlo fieri. Quamobrē cœlum nullatenus illam omnium tam diuerſorum ſimul ſumptorum primā vniuerſalem, & ſubſtantiarum cauſſam ne ſomniandum quidem eſt. Quoniam verò in hac re ſicut inferiora ſe habent ad cœlum: ita & cœlum ad ſub-

ſtantias

ſtantias ſeparatas; ideò ſicut cœlum nequaquam eſt cauſ ſa originalis rerum; eadem ratione nec ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt prima cauſſa rerum. Quam ijs omnibus excluſis, neceſſariò indagando ad primam cauſſam omnium inexhauſtum fontem perueniendum eſt, quæ quam ampliſſimo, & quam latiſſimo ſuo complexu vniuerſa complectatur, & contineat. Quam cauſſam ob rationes prædictas poſt illa omnia, quæ hactenus in hoc Duodecimo perſcrutatus eſt, hoc poſtremò Capite de tanta maieſtate, & de tam immenſo ſplendore hebeti naturæ lumine ſpeculaturus, non quærit an ſit: cum ſua luce omnia ſint, magis, & minus, prout magis, vel minus ad eum accedunt, colluſtrata: ne quærit quomodo in ſeſe habeat: huiuſmodi enim cognitionem vel ipſe ſolus, vel certè quam perfectiſſimè habet. Hoc autem eſt illa metaphyſica, illa prima philoſophia, illa ſapientia, illa Theologia, illa, ſi vno nomine eſſet appellanda, Diuina ſcientia, de qua & philoſophus in ſuo prooemio meminit, & nos in noſtra huius expoſitionis præfatione attigimus. Verum ipſum indagantem audiamus. Perſcrutandum etiam hoc (inquit) quonam modo natura vniuerſi habeat ipſum bonum, & ipſum optimum. Naturam vniuerſi non intelligit naturam alicuius ſpeciei, ſed naturam omnium diuerſorum tum ſingulorũ, tum ordinum, ex quibus quatenus ſunt diuerſa, vnum conſtituitur vniuerſum, quod vnum analogõ dicere poſſumus. Quærit itaque hæc natura vniuerſi quomodo habeat ipſum bonum, & ipſum optimum? Quia verò dum de cœlo, & de ſubſtantijs ſeparatis egit, eiuſmodi ſubſtantias & primam ſubſtantiam, & optimam appellauit quampluri mis locis, & alijs quam præſtantiſſimis, & honorificentiſſimis nominibus honeſtauit, & ſummis quodammodo perfectionibus inſigniuit modo tam ſingulari, vt ferè commu-

niter omnes expositores arbitrentur, cum ibi de quã perfectissimo, & quampræstantissimo omnium rerum principio fuisse locutum. Verum enimuerò de mente philosophi vnaquæque illarum substantiarum est bonum, & primum alicuius, vel aliquorum; quæ cum abhorreant à tanta maiestate; ideò ad earum differentiam primam omniũ caussam Deum appellat, ipsum bonum, & ipsum optimum naturæ vniuersi. Hic itaque quærit quomodo ad hanc naturam vniuersi se habeat hoc, quod est eius naturæ ipsum bonum, & ipsum optimum: vtrum sit separatum quiddã, sit ne per se ipsum bonum, & ipsum optimum; an in ordine sit ipsum bonum; an vtroque modo & per se, & in ordine sit ipsum bonum? quæ quidem omnia tanquam rationi consentanea, & manifesta affirmat. Deinde quod quærit an per se; id est, immediatè hoc vniuersi ipsum bonum; id est, sitne vnicuique singulorum in vniuerso immediatè, an ordine vniuersi sit ipsum bonum; id est mediante ordine secundarum caussarum? Et per se, respondet; id est, & immediatè est ipsum bonum vniuersi, & sua immediata assistentia, qua conseruat esse & vniuerso, & cuilibet eius parti; id est, cuilibet singulorum, vel primæ, vel secundæ, vel tertiæ substantiæ; & ipso ordine; id est, & mediantibus caussis est ipsum bonum vniuersi. Quod pulcherrima quidem, & ad rem aptissima, si licet illam præexcelsam maiestatem cum ijs nostris infimis conferre, duci, exercituique comparat, dicens. Bene esse eius; id est exercitus, & ordinem eius, & ipsum Ducem. Verum quoniam non est Dux propter ordinem, sed ordo propter Ducem; ideò (inquit) magis ipse immediatè, quam mediantibus caussis est, vniuersi ipsum bonum, & ipsum optimum. Quoniam verò hoc, quod est vniuersi ipsum bonum, & ipsum optimum duplici ratione consideratur, vel quatenus

suas

ſuas bonitates diffundit, vel quatenus ſunt omnia ad ipſum bonum coordinata, & ipſum omnia appetunt; ideò, ait, ad ipſum vnum ita ſunt coordinata, vt varij ordines ſint,& ad vnum omnium coordinatio. Sicut vario ordine natantia, volatilia, & plantæ ſunt diſpoſita; quia alia eorum operatio in aqua, alia in aere, & alia in terra: quamuis non eodem modo; ſed alio,& alio in ſuis operationibus ordinentur; omnia tamen ad vnum finem in ſuis coordinationibus tendunt. Quare(inquit)etiam ſi varij ſint ordines; non tamen ita ſe habent, vt alteri ad alterum nihil ſit, ſed ſunt ad quippiam; id eſt, aliquantum inuicem in quibuſdam & ratione partium,& ratione totorum conueniunt. Præſertim verò præter multa alia omnia ex quatuor rerum initijs generabilia, & corruptibilia augentur, & calore è cœleſti lumine emicante fouentur. Naturalia item inſunt in vegetabilibus,vegetabilia in ſenſitiuis,ſenſitiua in homine,omnia hæc inferiora corporea quodammodo in cœlo, cœlum in ſubſtantijs ſeparatis, quæ omnia præexcelſus, & ſupereminens Deus infinito ſuo complexu continet, cum omnia ſicut vniuerſi ipſum bonum,& ipſum optimum appetunt,tandem omnia,& ſingula in ſuo innato inſtinctu, & conatu ad ipſum vnum ſunt coordinata.Verum quoniam,ſicut iam dictum eſt,hoc bonum non ſolum quatenus ad eum ſunt omnia coordinata conſideratur, ſed etiam quatenus ab eius bonitate omnia bona diffunduntur; ideo, ſicut in illa conſideratione eum Duci exercitus aſſimilauit; ita in hac alia illum confert cum patrefamilias. Equidem cenſeo ab eo ſubſtantias ſeparatas,orbesq́ue cœleſtes liberis; homines mancipijs; ipſum vniuerſum magnæ domui comparari. Quare quemadmodum(inquit)in domo liberis non licet quodcunque facere; ſed ea omnia,aut plurima, quæ ſunt ordinata. Quod-

cunque facere, significat amplissimam, plenissimam, & absolutam potestatem primæ originalis omnium productionis; quocunque modo in hac philosophia primum accipiatur, quod est proprium, & peculiare munus huius patrisfamilias in hac magna vniuersi domo. Liberorum; id est, substantiarum separatarum, & cœli partium; id est orbium. Ad ea omnia, aut plurima; id est, quibusdam certis finibus, & præscriptis constituta: vt videlicet hæc intelligentia huic orbi regendo assistat, vt cœlum cum planta plantam, & cum animali animal producant. vt tandem omnia cœlestia sua virtute in inferiora agant in aliqua immediatè in aliqua verò alijs, & alijs mediantibus. Substantiæ separatæ in ordine caussarum immediatè radijs diuinæ bonitatis illustrantur, mediantibus autem ijs, & etiam ab ijs orbes cœlestes, ita, vt suscepto Diuinæ bonitatis radio substantiæ separatæ seipsas intelligant, & se intelligendo in se conuertantur à benignissimo Deo acceptas bonitates cum orbibus, quibus iussæ sunt assistere ratione pulchri, & boni communicando; quorum orbium animæ bonitates substantiarum separatarum suscipientes seipsas intelligunt, & ita in se conuertuntur; orbes verò; id est corpora illorum cum sint perfectè sphærica neque grauia, neque leuia eundem, sicut & animæ circulum efficiunt. quæ anima est forma eorumdem corporum. Quę corpora motu, & calore viuifico ex luce procedente sunt caussæ horum inferiorum corporeorum modo supradicto. Non quidem hic calor viuus putandus est, vel efficere posse, vt alia viuant. Nam animæ in habentibus vitam sunt fons vitæ; sed modo sibi proprio, ad differentiam caloris elementalis comburentis, hic viuificus potest appellari. Vnaquęque harum substantiarum separatarum quemadmodum intelligit, ita & vult, sicut & ani-

mæ

mæ orbium. Omnis nanque perfectio, quæ est in caussato, magis est in caussa; quia vbi bonum, ibi & appetibile: quia delectatio intellectum, & voluntatem consequitur. Quamuis autem intellectio prior, quam volitio; nihilominus voluntas magis ad delectationem facit; vnio verò volentis, & voliti vtraque magis. Licet verò dicat mancipijs, & bestijs parum, quod ad commune in vniuerso conferat, & eorum operationem esse circa contingentia; id est singularia producenda, vel aliquod singulare operandum; nihilominus etiam homo in hac magna domo intellectu, & voluntate multa præclara operatur non solum artificialia; sed & in caussis naturalibus adiuuando, & impedimenta remouendo. Bestiarum quoque nonnulla sunt, quæ quia in societatibus operantur; ideò ciuilia animalia appellantur. Iccircò dixit mancipia, & bestias parum, quod ad commune conferat in hac magna domo facere. Quamquam verò quamplurima homo operetur, ea tamen cum cœlestium operationibus collata parum dicenda sunt. Deinde. Tale (inquit) principium cuiusque eorum natura est; id est, Vnumquodq; horum principiorum tale principium natura est: in ipso videlicet originali principio ab ipso patrefamilias institutum. Postea pariformiter (inquit) similiter dicendum est omnia hæc; id est, quæ vniuersi ambitu continentur, necesse est in discrimen; id est, in distinctam singulorum cognitionem venire, si nomen philosophi tueri velimus. Singula namque cognoscamus, quamuis vniuersali ratione scientiæ tradantur necesse est. Quorum singularium alia (inquit) ita sunt, quibus omnia communicant ad vniuersum complendum. Hæc verò quibus omnia communicant sunt substantiæ separatæ, licet vnaquæque illarum sit singularis substantia. Postremò aduersus opi-

niones

niones de prima caussa omnium se præcedentium philosophorum disputat, efficacibus rationibus illorum positiones diluendo; donec ad postremos perueniat, quorum positiones substantiam vniuersi inconspirantem (inquit) faciunt; id est, non ad vnum coordinatam, & quæ multa principia habeat. Quibus quàmaccuratissimè confutatis ad calcem huius libri peruenit, dicens. At entia nolunt malè gubernari. Et quoniam non est bona pluralitas principatuum, concludit. Ergo vnus princeps.

F I N I S.

## ERRATA CORRIGENDA.

*Folio 37. linea 4. materia, materiæ. folio eodem linea 6. priuatio, priuationes. folio 46. linea 21. mouebantur, mouebuntur. folio 51. linea 23. natura, naturæ. folio eodem, linea 27. primi supposita eadem esse, prima supposita idem esse. folio 53. linea 16. corporeis vnoquoque, corporeis cum vnoquoque. folio 69. linea 23. at, &. folio 63. linea 2. ens, eos. folio 75. linea 1. harum, horum. folio 83. linea 8. inesse, esse.*